[illegible] ... [illegible]

... Applicata ... [illegible]

... Tempus ... [illegible]

... Connexa ... [illegible]

#3

De Definitione.

[illegible] ... Natam [illegible] ... [illegible] ... vocabulum [illegible] ... Nois [illegible] ... Natam [illegible] ... vocabula [illegible] ... eloquia [illegible] ... Homo [illegible] ... Definitio [illegible] ...

[illegible]

[illegible]

3. [illegible]

[illegible]

[illegible] Communionē [illegible] aequalem [illegible]

[illegible] Veri Falsitatis [illegible] Copulat [illegible]

[illegible] Falsa [illegible]

[illegible] Communionē [illegible]

INSTITVTIONVM LOGICARVM LIBRI SEPTEM.

Per

Fr. NICOLAVM MOSCICENSEM, Doctorem Theologum ex ordine Prædicatorum, editi.

In quibus vniuersa, quæ ad eam facultatem necessaria sunt, succinctè & sufficienter, atque adeò dilucidè tractantur, vt etiam suo Marte, ingeniosa Iuuentus Logicen intelligere, ac in ea proficere valeat.

Superiorum permissu.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Andreæ Petricouij.
Anno Domini, 1606.



Felices hastæ Mauortis in agmine primæ,
Hostili quondam sanguine purpureæ:
Vestra pace, precor, LOGICES *meus iste libellus,*
In ZAMOSCIADÆ *lumina deueniat.*
Sic Ioue nata iubet Pallas, sic arbiter olim
Et ferri & calami, maximus ille SAREVS.

THOMÆ ZAMOSCIO,

Illustrissimi olim Herois IOANNIS ZAMOSCII, Exercituum generalis Præfecti, & summi Regni Poloniæ Cancellarij,

FILIO.

F. NICOLAVS MOSCICEN. Doctor Theologus Ordinis Prædicatorum S. P.

SI quis fortè mirabitur, quòd ego tibi, nec de facie notus, libellum istum Institutionum Logices dedicem; is si mei consilij rationes diligentiùs inspiciat, desinet credo mirari. Multæ enim causæ sunt, quæ me ad id faciendum compulerunt. Herois inprimis ZAMOSCII *Patris tui, nec tui tantùm, sed patriæ iucundissima & sanctissima memoria; quæ dum nobis occurrit, ostendit liquidissimè quis ille & quantus fuerit, postquam ex oculis nostris sublatus est; secundum illud Lyrici vatis:* Virtutem incolumem odimus, Sublatã ex oculis quærimus inuidi. *Æquum ergo putaui, tenerum istũ* ZAMOSCIANÆ *domus surculum, eumq; vnicum, de magno illo Patre venerari, & exinde spem & expectationem amissam resumere, idq; hoc scri-*

 pto te-

pto testificari. Sed & altera fuit causa, scilicet beneficia Ordini nostro collata, ex inclyta TARNOVIORVM *Comitum stirpe, ex qua maternam originem trahis; ea cùm in dies cumulatissima in nos fiant, gratitudinem certè perpetuam exposcũt; nec hoc tempore poterat sese dare occasio melior, quàm si teneræ ætati tuæ, studiis, vt audio, addictissimæ, ea quæ ad excolendum ingenium tuum pertinent, offerremus. Talia autem, Institutiones Logices sunt, sine quibus tota ratio dicendi intelligendiue marcescit. Deum Opt: Max: rogo, vt te patriæ nostræ florentem & incolumem, in gratia sua sancta, diu augeat & conseruet, citoq; resurgat in te Heros ille Illustrissimus, Pater tuus, rediuiuus. Annue ô magne Deus.*

Crac: Kalendis Januarij. Anno Domini, 1606.

INSTI-

INSTITVTIONVM LOGICES PRÆLVDIVM.

In hoc principio Logicæ tria sunt notanda.

Domus Prob: Soc: JESU Cracoviensis

I. Quid significet Logica & Dialectica.
II. Quod sit discrimen inter Logicam & Dialecticam.
III. Quæ & quo ordine sint tractãda in Logica.

I. LOGICA significat artem, quæ docet ratiocinari seu argumentari. Nam Græcè *λογος*, Latinè dicitur ratio aut sermo.

DIALECTICA significat artem, quæ docet disputare; nam Græcè *διαλεγομαι*, Latinè disputo dicitur.

Et quoniam scientiæ acquiruntur per argumentationem & disputationem: ideò Logica quæ docet hæc, appellatur instrumentum seu organum, tum Philosophiæ, tum cæterarum scientiarum.

II. Discrimen inter Logicam & Dialecticam si propriè sumantur, est hoc, quòd Logica est tanquã totum: Dialectica tanquam pars.

Logica enim continet omnes nouem tractatus Logicos: nimirùm, Prædicabilium, Prædicamento-

rum,

rum, Peryhermenias, quem Aristoteles diuisit in 2. libros. 2. Priorum. 2. Posteriorum. 8. Topicorũ. 2. Elenchorum. 3. Rethoricæ, & vnum Poëticæ.

Dialectica verò, propriè solos octo libros Topicorum comprehendit, adiungens sibi etiam illos, qui aliquo modo ordinãtur ad Syllogismum disputatiuum. Quamuis interdum Logica & Dialectica pro eodem sumantur.

III. Modus procedendi in Logica iste est seruandus; vt primò tractetur de Prædicabilibus, secundò de Prædicamentis, tertiò de Enuntiatione seu Propositione, quartò de Syllogismo secundùm omnes suas varietates.

Ratio huius ordinis est hæc.

Nam omnes homines naturaliter desiderant scire, scire autem est effectus demonstrationis: non poterit itaque compleri naturale hominis desiderium, nisi habeatur cognitio de Demonstratione: quia effectus non potest esse absque sua causa. Demonstratio autem cùm sit quidam Syllogismus; antequam cognoscatur, exigit cognitionem Syllogismi: Syllogismus verò est quoddam totum aggregatum. Ergo priùs requirit notitiam partium.

Partes Syllogismi sunt, Propositiones & Conclusio, quæ dicuntur Enuntiationes. Itaq; priùs de Enuntiatione est tractandum.

Et quoniam Enuntiationes componuntur ex terminis incomplexis: incomplexi autem termini in Prædicamentis collocantur & disponuntur; idcircò priùs de Prædicamentis agendum erit.

Sed

Sed quoniam Prædicamentum est coordinatio Prædicabilium, propterea à tractatu Prædicabilium inchoandum est in Logica.

CAVTELA.

Caue, ne obscuritas quorundam vocabulorum, te à studio Logicæ deterreat: non enim simul omnia intelligi aut declarari possunt, singula autem propriis in locis tractabuntur, declarabuntur, & Dei auxilio intelligentur.

LIBER PRIMVS.

De Prædicabilibus.

Pro huius tituli declaratione tria sunt scienda.

Primò. Quòd Prædicabile significat vocem aut rem communem. vt autem hoc meliùs intelligatur,

Sciendum est secundò, quòd vocum alia est communis, alia particularis.

Vox communis est, quæ multis communicatur: vt homo, bos, leo, &c.

Particularis est, quæ vni soli rei accommodatur: vt Sigismundus, Wladislaus, Thomas.

Vox communis à Grammaticis diceretur, nomen appellatiuum; vox autem particularis, nomen proprium.

A Logicis autem vox communis dicitur, Vniuersale & Prædicabile. Nam quatenus reperitur & est in multis, dicitur Vniuersale: quatenus verò dicitur, prædicatur, enuntiatur de multis, seu attribuitur multis, nuncupatur Prædicabile.

 Vox

Vox particularis à Logicis dicitur Indiuiduum, quia non diuiditur, non distribuitur, non communicatur multis, sed vni rei propria est.

Tertiò sciendum est, quòd Indiuiduum duplex est: Vagum & Determinatum.

Vagum est, quod rem particularem significat vagè, hoc est indeterminatè, confusè: vt, quidam homo, aliquis equus. Talia enim Pronomina restringunt nomen commune, ad significandum rem particularem indistinctè, id est, non explicando quæ sit illa res particularis.

Determinatum, quod etiam signatum dicitur, est illud, quod determinatè, expressè, & distinctè, rem particularem significat. Tale autem Indiuiduum determinatum quadruplex est: videlicet, Determinatum Nominatione, Demonstratione, Circumlocutione, & Suppositione.

Determinatum Nominatione, quod per proprium nomen determinatur, & exprimitur: vt Sigismundus.

Demonstratione, quod per Pronomen demonstratiuum determinatur & explicatur: vt, hic homo, ille bos.

Circumlocutione, quod per proprietates quasdam vni soli particulari rei competentes explicatur: vt, vir bellicosus, ruffus, qui interfecit vrsum & leonem: hac circumlocutione, insinuatur Dauid. Similiter: Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus S. Deus: significatur persona filij Dei.

Suppositione, quod subintellecta & posita aliqua conditione, significat rem particularem: vt posito, quòd Beata Maria non habuerit plures quàm vnum filium (sicuti reuera non habuit) dicendo, Mariæ filius, significatur Christus. Similiter dicendo: magni illius Zamoscij filius, significatur Thomas; quia est vnicus.

De numero Prædicabilium.

Prædicabilia sunt quinque: Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

Quare autem sunt quinq; tantùm, in fine huius tractatus dicetur, ibi enim meliùs intelligetur.

De Genere.

Quod primò diffinitur, secundò diuiditur.

GENVS est, quod prædicatur de pluribus speciebus in quid: vt, animal prædicatur de homine, boue, &c.

Illud autem prædicatur in quid, quod aptè respondetur ad interrogationem factam per quid: vt si interrogetur, quid est homo? conuenienter respõdetur, est animal.

Diuisio.

Genus est duplex. Generalissimum & Subalternũ.

Generalissimum, quod etiam dicitur supremum, supra quod nõ inuenitur aliud genus: vt Substantia, quantitas, qualitas, &c.

Subalternum, quod etiam medium dicitur: quod est & genus & species. Genus respectu inferioris; species respectu superioris. Et propterea subalternũ vocatur, id est, sub altero positũ, vt patebit infra.

De Specie.

SPECIES est duplex, Specialissima & Subalterna.

Species specialissima est, infra quam non inuenitur alia species: Et quæ prædicatur de pluribus indiuiduis in quid: vt homo de Sigismũdo, Wladislao, &c. Aquila, de hac & illa aquila.

Species subalterna seu media, quæ est & species respectu superioris, & genus respectu inferioris.

Hæ autem diuisiones manifestæ erunt, si enumerabuntur plura genera & species, & ordine collocabuntur hoc modo.

Substantia.	Genus supremum.
Corpus	Genera & species subalterna.
Viuens	
Animal	
Homo	Species specialissima.

Vbi substantia est genus generalissimum, propter rationes superiùs allatas. Homo autem species specialissima. Intermedia verò sunt, & genera & species, vt dictum est.

De Differentia.

DIFFERENTIA est, quæ diuidit genus, constituit speciem, de qua prædicatur in quale, & est pars definitionis eius, eamq; ab omni alia re differre facit primò & principaliter.

DECLARATIO.

Quomodo differentia diuidit genus & constituit speciem, intelligemus facilè, si accipiamus illa superiùs ordinatè enumerata genera & species. Nam substantia quæ est supremum genus, diuiditur istis diffe-

differentiis, simplex & composita. quędã enim substantia est simplex, vt Angelus: quædam composita, vt corpus: vbi corpus constituitur per hanc differentiam, composita.

Rursùm corpus cùm sit genus subalternum, diuiditur per has differentias, animatum & inanimatũ: differentia animatum, constituit viuens. Sed quoniam etiam viuens est genus subalternum, propterea diuiditur suis differentiis, videlicet, per sensitiuũ & insensitiuum: sensitiuum autem constituit seu facit animal.


Adhuc & animal genus est, quòd habet suas differentias: nimirùm, rationale & irrationale, quibus & diuiditur hoc modo: Animalium aliud rationale, aliud irrationale: hæc autem differentia rationale, constituit hominem.

Prædicatur autem differentia de specie in quale; quoniam ad interrogationem factam per quale, aptissimè respondetur. vt, Qualis est homo? bene respondetur, rationalis.

Et pręterea differentia pars definitionis. Nã definitio omnis cõstat ex genere & differẽtia: vt, homo est animal rationale. Hîc homo, est definitum, hoc est, id quod definitur; & animal rationale, est definitio: in qua animal, est genus: rationale, differentia.

Vltimò dicitur, quòd differentia distinguit seu differre facit speciem ab omni alia re primò & principaliter. Nam potest esse quòd homo distinguatur ab equo per album & nigrum; sed reuera non per hoc distinguitur primò & principaliter, sed per suã differentiam: scilicet per hoc, quòd homo est rationalis, & equus irrationalis. Huius

Huius doctrinæ Figura.



De Pro-

De Proprio.

PROPRIVM eſt, quod ineſt omni, ſoli, & ſemper, cõuerſimq; prædicatur de ſpecie in quale, non tamē in eius definitione ponitur: vt riſibilitas reſpectu hominis, mugibilitas reſpectu bouis, latrabilitas reſpectu canis.

DECLARATIO.

Multas conditiones exigit data definitio, ad hoc quòd aliquid dicatur verè propriū. Neq; enim ſufficit vna vel duæ. Vnde nigredo non eſt propriū coruo. Nam quamuis omni coruo conueniat, non tamen ſoli coruo; nam & carboni & Æthyopi ineſt.

Similiter propter ſecundam conditionem tantū non verè dicitur aliquid proprium. Vnde eſſe Philoſophum aut Chriſtianum, non eſt proprium hominis; nam quamuis ſoli humanæ ſpeciei competat, non tamen omni eius indiuiduo.

Nec ſufficiunt duæ conditiones abſq; tertia. Vnde quamuis caneſcere omni homini cōueniat & ſoli, non tamen eſt verè proprium; quoniam nō ſemper conuenit, ſed in ſenectute tantùm. Riſibilitas autem ſeu poſſe ridere, conuenit omni homini, & ſoli homini & ſemper. nam, quamuis dormiat, quamuis ploret, ſemper tamen habet aptitudinem ad ridendum.

Subiungitur adhuc in definitione de Proprio, quòd prædicetur de ſpecie in quale. Nam ad hanc interrogationem, qualis eſt homo? conuenienter reſpondetur, riſibilis.

Dicitur, quòd prædicetur de ſpecie conuerſim, ſeu con-

ſeu conuertibiliter, id eſt reciprocè, hoc eſt, cum retrograda repetitione; ita videlicet, vt & proprium prædicetur de homine, cum particula omnis vel omne, & viceuerſa ſpecies prædicetur de ꝓprio, cum eadem particula, omnis vel omne: vt, omnis homo eſt riſibilis: &, omne riſibile eſt homo.

Additur, quòd proprium non ponitur in definitione ſpeciei: vt per hoc diſtinguatur proprium à differentia. Nam quamuis differentia quoq; prędicetur de homine, & cõuertibiliter & in quale, tamẽ proprium nõ eſt pars definitionis ſpeciei, cuius cauſa eſt. Quoniam proprium non ſignificat eſſentiam ſeu naturam ſpeciei, ſed conſequitur naturam ſpeciei, ſeu fluit ex ipſa. Quamuis interdum loco differentiæ ponatur in definitione, propter defectum verarum differentiarum.

De Accidente.

De quo tria. Definitio, Diuiſio, & Dubium.

Definitio.

Accidens eſt, quod poteſt adeſſe, & abeſſe rei, abſq; deſtructione ipſiuſmet rei. Hoc eſt, ſiue inſit rei, ſiue etiam non inſit, ſemper ſalua eſt natura ipſius rei, nec aliquam violentiam aut diminutionem natura eius patitur, propter hanc accidentis abſentiam: vt, Albedo eſt accidens parietis. Seſſio accidit Petro; nam ſiue ſedeat, ſiue non ſedeat, in nullo læditur aut corrumpitur natura Petri.

Diuiſio.

Accidens duplex. Separabile, vt Nigredo in faro; nam lota facie, remouetur nigredo.

Inſeparabile, vt Albedo in cygno, nigredo in coruo. Nam coruus etiam ſi lauerit ſe, nunquam amittet nigredinem.

Dubium.

Videtur diuiſio contraria eſſe definitioni. Nam in definitione dicitur accidens poſſe non ineſſe, ſeu poſſe auferri à re in qua eſt. In diuiſione autem dicitur quoddam accidens eſſe inſeparabile, & per hoc non poſſe abeſſe.

Reſpondetur. Diuiſio non contrariatur definitioni. Nam etiam accidens inſeparabile poteſt non ineſſe ſeu poteſt abeſſe, ſi bene perpendantur & penetrentur omnes particulæ poſitæ in definitione. Quamuis enim accidens inſeparabile non poſſit abeſſe ſecundum rem, quia reuera ſemper coruus erit niger: poteſt tamen abeſſe ſecundum cogitationem, in hoc ſenſu, & cum hac conditione, vt ſit ſine deſtructione naturæ. Poſſum certè cogitare coruum ſine nigredine, & tamen natura ſeu eſſentia corui propter hoc nullum detrimentum aut præiudicium patietur. Quod ad differentiam proprii ponitur. Nam quamuis proprium non ſit de eſſentia rei; tamen quia comitatur eſſentiam eius, valde variaretur eſſentia ablato proprio. Vt, ſi homo non eſſet riſibilis, vis inferretur naturæ humanæ.

Secundò poſſit reſponderi aliis verbis: Quòd licet accidens inſeparabile non poſſit abeſſe ſimpliciter, id eſt, nullo ſubintellecto vel addito, poteſt tamen abeſſe cum hac conditione; ſcilicet, quòd ſit abſq; eius ſubiecti deſtructione.

Tertiò poſſet dici: Quòd accidens omne poteſt ſeparari

ſeparari ex natura ſua, & ratione eſſentiæ ſubiecti ad quam non pertinet. Quamuis merito ſuæ cauſæ fortiter agentis, vel firmiter radicatæ, non poſſit.

SVFFICIENTIA PRÆDICABILIVM.

Præmiſſa iam quali quali notitia Prædicabilium, facile eſt intelligere, quomodo Prædicabilia ſunt quinque, & non plura, nec pauciora.

Prædicabile enim dicitur, quia prædicatur. Vel ergo prædicatur in quid, vel in quale.

Si in quid aut de pluribus ſpeciebus, & ſic habemus genus. Aut de pluribus indiuiduis, & ita habemus ſpeciem.

Si in quale aut in quale intra eſſentiam, & hæc erit differentia. Nam ipſa ſpectat ad eſſentiam ſeu naturam rei. Aut in quale iuxta eſſentiam, & hoc erit proprium: nam quamuis proprium non ſpectet ad eſſentiam rei, tamen eſt iuxta ipſam; quia conſequitur, & (vt dicitur) fluit ex eſſentia rei. Vel in quale extra eſſentiam, & hoc eſt accidens: nam accidens neque eſt eſſentia rei, neque inſequitur eſſentiam, ſed eſt omnino extra.

LIBER SECVNDVS.

De Prædicamentis.

Hîc duo præmittuntur.

Primò. Quòd Prædicamentum ſignificat coordinationem plurium Prædicabilium, hoc eſt, generum & ſpecierum, ſecundùm ſub & ſupra: id eſt, vt vnum

vnum ponatur ſuperiùs, aliud inferiùs, quemadmodum vidimus in capite de Specie & Differentia.

Secundò. Vt meliùs intelligantur Prædicamenta, multa ſunt priùs cognoſcenda. Nam & Prædicabilia, & quædam alia appellata ab Ariſtotele Antepredicamenta, imò etiam Poſtprædicamenta, omnia iſta ſuo modo ſunt vtilia ad Prædicamenta; nam Prædicabilia ideò ſunt vtilia ad Prædicamenta, vt intelligamus ordinem in Prædicamentis.

Antepredicamenta verò, vt ſciamus quid ſit reſpondendum in Prædicamẽtis, & quem reſpectum habeant inter ſe Prædicamẽta, & quomodo omnia ſimul reſpiciant, ſeu reducantur ad ens.

Poſtprædicamenta etiam complent doctrinam Prædicamentorum, & quaſi ad maiorem abundantiam adducuntur. Hæc autem omnia meliùs intelligentur ſuis in locis.

De Antepredicamentis.

Antepredicamenta in communi ſunt tria.

Definitiones, Diuiſiones, & Regulæ.

Et Definitiones quidem, facilitatis cauſa, quatuor à nobis enumerantur: duæ Diuiſiones, & duæ Regulæ.

Quatuor, inquam, Definitiones ſunt.

Vniuocorum, Æquiuocorum, Analogorum, & Denominatiuorum. Quæ quidem ſumuntur à quatuor modis prædicandi: qui ſunt, Vniuocè, Æquiuocè, Analogicè, & Denominatiuè. Vnde qui intellexerit hos quatuor modos prædicandi, facilè intelliget, quid ſit Vniuocum, Æquiuocum, Analogum, & Denominatiuum.

Illud itaque prædicatur vniuocè, quod eſt commune multis, & ſecundum nomen, & ſecundum definitionem æqualiter conuenientem illis multis: vt, animal vniuocè prædicatur de homine, boue, leone, cane; quia & nomen eius eſt commune iſtis multis, & definitio animalis æqualiter omnibus conuenit.

Definitio enim animalis eſt iſta; animal eſt ſubſtantia animata ſenſitiua: &, homo eſt ſubſtantia animata ſenſitiua; nec minus bos, leo, canis, eſt ſubſtantia animata ſenſitiua. Pro maiori declaratione huius primæ definitionis, ſcito primò. Quòd vniuocè tantùm genus prædicatur de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis: ſimiliter differentia de ſpecie & de indiuiduis.

Scito ſecundò. Quòd in prædicatione vniuoca illud commune pluribus dicitur vniuocum, illa verò multa, vocantur propriè vniuocata.

Secunda definitio. Illud æquiuocè prædicatur, quod eſt commune multis ſecundum vocem tantùm, & non ſecundum definitionem: vt, canis conuenit & animali latrabili, & cuidam piſci in mari, qui ſimiliter canis vocatur, & cuidam ſyderi cœleſti à quo dicuntur dies caniculares; & ita hoc nomen canis, eſt commune multis ſecundum vocem: ſed tamen nunquam ſecundum definitionẽ; non enim poteſt aliqua definitio aſſignari, quæ his omnibus conueniat. Nam ſi diceres definitionem canis eſſe iſtam, eſſe animal latrabile: certè piſcis non latrat, ſydus cœleſte non latrat, nec eſt animal.

Cauſa autem, quòd definitio communis ſecundum illud

dum illud nomen non poſſit aſſignari, eſt hæc; quoniam nomen æquiuocum multas & diuerſas omnino naturas ſeu res ſignificat. Vnde ſecundum diuerſitatem naturarum, diuerſæ ſunt definitiones.

Hic quoq; ſcito; in prædicatione æquiuoca, illud nomen commune appellari æquiuocum, illa verò multa dici propriè æquiuocata.

Tertia definitio. Illud Analogicè prædicatur, quod eſt commune multis ſecundum nomen, imò & ſecundum definitionem, ſed inæqualiter conuenientem illis multis: vt Rex, cuius nomen cõmune eſt & viuo regi & picto, definitio verò Regis inæqualiter conuenit viuo & picto; nam priùs viuo, poſteriùs picto. Et partim eadem, partim diuerſa eſt definitio. Nam ſi definiretur rex; diceretur, Rex eſt qui imperat hominibus vel regit homines, aut quid ſimile. Hæc itaque definitio, primò conuenit regi viuo, & propter ipſum conuenit regi picto; nam picto regi in tantum conuenit, in quantum repræſentat regem viuum. Vnde rex viuus dicitur, qui regit homines: rex verò pictus dicitur, figura vel imago illius qui regit homines. Vbi vides definitionem Analogi, & primò conuenire vni quàm alteri ex illis multis. Et præterea in illis multis partim eſſe eandem definitionem, partim diuerſam: nam in definitione regis, quando prædicatur de picto, additur imago: & ita variatur in parte definitio.

Aliud exemplum.

Sanum ſimiliter Analogicè prædicatur de homine vel animali, de medicina, de dieta, & de vrina.

Nam ſanum eſt concordia ſeu contemperatio humorum, ne vnus humor excedat vel ſuperet alterum. Vnde iſta definitio ad plenum inuenitur in homine ſano: quia in eo eſt ipſa concordia humorum, in medicina non eſt concordia humorum; ſed ſi definiretur medicina, ſana diceretur, quòd cauſat concordiam humorum; & ſimiliter dieta ſana, quia conſeruat ſanitatem hominis: eodem modo vrina ſana, quia ſignificat eandem æqualitatem humorum.

Videre itaque potes, quomodo iſtis multis non vniformiter conuenit definitio ſani, & hoc propter appoſitionẽ particularum propriarũ. Videre etiam potes, quomodo definitio ſaluatur in vno principaliter, in reliquis autem per comparationem ad primum. Adhuc intelligere poteris, quomodo definitio in iſtis multis partim eſt eadem, partim diuerſa.

Ita & ens prædicatur Analogicè de ſubſtantia & accidente. Nam principaliter conuenit ſubſtantiæ, accidenti verò propter ſubſtantiam. Nam accidens ideò habet eſſe, quia in ſubſtantia eſt. Sed hæc meliùs alibi intelligentur.

Hîc quoq; ſcito; in hac prædicatione illud commune dici Analogum, illa verò plura propriè Analogata.

Quarta definitio. Denominatiuè prædicatur omne adiectiuum de ſubiecto ſuo in quo eſt: vt albũ prædicatur de pariete, de homine, de equo, de ſubiectis ſuis, in quibus eſt.

Hîc ſcito, quod adiectiuum apud Grãmaticos, apud Logicos concretum dicitur, quaſi à concreſco. Nam

ſco. Nam accidẽs, aut forma cum ſubiecto eſt mixta. Subſtantiuum verò illius adiectiui (à quo ſola terminatione ſeu cadentia vocis differt) appellatur apud Logicos abſtractum; quoniam formam ſimplicem & à ſubiecto abſtractam ſignificat: vt albedo, dulcedo, amaritudo.

Ex his declarationibus, faciliores erunt intellectu definitiones, quas hîc adducit Ariſtoteles. Earum enim ſenſus talis eſt.

I. Vniuocum eſt illud, quod eſt commune multis & ſecundum nomen & ſecũdum definitionem.

II. Æquiuocũ eſt illud, quod eſt commune multis ſecundum nomen, non autem ſecundum definitionem.

III. Analogum eſt illud, quod eſt cõmune multis ſecundum nomen æqualiter, ſecundum definitionem verò inæqualiter.

IV. Denominatiuum eſt omne adiectiuũ, quod in principio quidem dictionis conuenit cum ſuo ſubſtantiuo, in fine verò differt: vt album, albedo, dulce, dulcedo.

Secundum Antepradicamentum continet duas diuiſiones. Vna diuiſio eſt vocum, altera rerum.

I. Vocum, alia incomplexa: vt Homo. alia complexa: vt homo albus.

II. Rerum, alia ſubſtantia vniuerſalis: vt animal, homo. alia ſubſtantia particularis: vt Sigiſmundus, Wladiſlaus. alia accidens vniuerſale: vt color, albedo. alia accidẽs particulare, vt hęc albedo, iſte color.

DECLARATIO.

Iſta diuiſio, quatuor membra ſeu partes habet.

Prima pars est, Substantia vniuersalis. De hac Aristoteles dicit: quod in subiecto non est, & tamen de subiecto dicitur. Nam quoniam est substantia, ideo non est in alio sicut accidens in subiecto: sed quoniam est vniuersalis, ideo prædicatur de alio tanquam superius de suo inferiori subiecto.

Secunda pars est, Substantia particularis: de qua Aristoteles ait, quòd neq; in subiecto est, (quia est substantia) neque de subiecto dicitur, quia est particularis: particulare autem non prædicatur.

Tertia pars est, Accidens vniuersale: de eo Aristoteles asserit, quòd & in subiecto est, (quia accidens est) & de subiecto dicitur, quoniam est vniuersale. vniuersale autem continet sub se multa de quibus prædicatur: vt, albedo est color. Nigredo est color.

Quarta pars est, Accidens particulare: de quo Aristoteles dicit, quod in subiecto est, (quia accidens est) & de subiecto non dicitur, quia particulare est; nam particulare nihil sub se continet de quo prædicatur: vt hæc albedo, illa dulcedo.

Tertium Anteprædicamentum continet duas Regulas.

Prima est. Quando aliquid prædicatur de alio tanquam de suo proprio subiecto: tunc quicquid attribuitur prædicato, attribuendum est etiam subiecto.

Exemplum.

Homo prædicatur de Petro, hoc modo Petrus est homo. Homini attribuitur quod sit animal, & quod sit rationalis, & quod sit viuens: hæc omnia etiam Petro sunt attribuenda.

Secunda Regula. Diuersorum generũ & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species & differentiæ.

Exemplum.

Animal & scientia sunt diuersa genera & non sunt subalternatim posita; hoc est, vnum genus nõ ponitur sub altero. Vnde aliæ sunt species animalis, aliæ scientiæ: nam species animalis sunt, Homo, bos, leo. Species verò scientiæ sunt, Physica, Methaphysica, Mathematica. Similiter differentiæ aliæ sunt. Nam animalis differentiæ sunt, gressibile, reptile, natabile, volatile.

Differentiæ verò scientiarum sunt aliæ. Videlicet, diuersus abstractionis modus: de quo alibi.

NOTATIO.

Anteprædicamenta valde sunt vtilia ad Prædicamenta. Nam definitio Vniuocorum admonet, totam coordinationem vnius Prædicamenti debere constare ex Vniuocis.

Definitio Æquiuocorum admonet, æquiuocum priùs esse declarandum & distinguendum, vt diuersæ res in diuersis ponantur Prædicamentis vel locis.

Definitio Analogorum admonet, omnia Prædicamenta esse reducenda ad supremum prædicatum ens, per prædicationem Analogam.

Quarta definitio admonet, omnia Prædicamenta accidentium reducenda esse ad Prædicamentum substantiæ, per prædicationem Denominatiuam.

Prima diuisio admonet tantùm, incomplexa ponenda esse in Prædicamentis. Et directè quidem,

genera, ſpecies, & indiuidua. Indirectè verò & reductiuè, differentiæ eſſentiales, partes, principia: vt punctum & vnitas: motus ad res vel à rebus, priuationes, & negationes, ens in potentia.

Secunda Diuiſio, parat nobis viam ad cognoſcendum ſaltem imperfectè Prædicamenta, & diuerſitatem illorum.

Prima Regula, prodeſt ad meliorem cognitionem eorum, quæ in quolibet Prædicamento ordinantur ſecũdum ſub & ſupra. Non enim perfectè cognoſci poſſunt inferiora, niſi omnia cognoſcantur, quę eis attribui poſſunt.

Secunda Regula, innuit coordinationes Prædicamentorum eſſe inpermixtas, id eſt non variandas; ita vt nec idem in diuerſis Prædicamentis reponatur, nec diuerſa in vno.

De Prædicamentis.

Prædicamenta ſunt Decem.

Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Adaliquid ſeu Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situs & Habitus.

De Subſtantia.

De hac tria dicentur. Significatio, Diuiſio, & Proprietas. Significat Subſtantia duo. Vnum Primariò, alterum Secundariò.

Primariò ſignificat id quod per ſe exiſtit, hoc eſt, non ſuſtentatur per aliud ſicut accidens per ſubiectum.

Secũdariò ſignificat id quod ſub alio ſtat ſeu eſt. Vnde ſubſtantia dicitur à ſubſtando. Nam ſtat ſub accidentibus.

Diuiſio.

Duplex eſt Subſtantia. Prima & Secunda.

Subſtantia prima eſt, Subſtantia particularis: vt Petrus, Plato.

Subſtantia ſecunda eſt, Subſtantia vniuerſalis, ſiue ſit genus, ſiue ſpecies: vt, Homo, bos, animal, arbor.

Differentia inter has, ſubſtantias eſt. Quia prima ſeu particularis ſubſtantia dicitur, propriè & principaliter, & ſub pluribus ſtat, quàm ſecunda. Propriè quidem, quoniam non propter hanc tantùm cauſam dicitur ſubſtantia, quia habet eſſentiam, (quod etiam accidentibus conuenit) ſed etiam propter alias paulò ante aſſignatas. Principaliter verò, quoniam ſi vniuerſalis ſubſtantia ſtat ſub accidentibus, hoc ei conuenit per particularem ſubſtantiam, quæ principaliter eſt ſub alijs: ideò enim homo eſt albus, quia Petrus eſt albus. Et præterea particularis ſubſtantia ſubſtat non tantùm accidentibus, ſicut & ſecunda ſubſtantia, verùm etiam ſtat & eſt ſub ſecundis ſubſtantiis, quod eſt maximè ſubſtare.

Proprietates ſubſtantiæ ſunt Sex.

Prima. Proprium eſt omni ſubſtantiæ, non eſſe in alio, eo modo quo accidens eſt in ſubiecto.

Secunda. Subſtantiis vniuerſalibus conuenit vniuocè prædicari de ſuis inferioribus.

Tertia. Prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid, id eſt rem particularẽ. Secunda verò ſubſtantia ſignificat quale quid, hoc eſt, rem cõmunem pluribus.

Quarta. Substantiæ nihil est contrarium: si propriè sumatur contrarium.

Vbi sciendum est, quòd contraria dupliciter sumuntur propriè, pro accidentibus mutuò se expellentibus ab eodem subiecto, mediante motu: vt, calor & frigus. Contraria verò communiter dicuntur illa, quæ quocunque modo differunt vel repugnant, seu etiam non sunt idem: vt, ignis & aqua. Et talis contrarietas communiter dicta, potest inueniri in substantiis.

Quinta. Substantia non suscipit magis & minus, hoc est, non intenditur nec remittitur: id est, non augetur successiuè in suo proprio esse, nec diminuitur.

Exemplum.

Petrus non est magis homo quàm Paulus, & hos non est minùs animal quàm homo. Quod meliùs intelligetur, si aliud exemplum subiiciatur. Album suscipit magis & minus; quia esse album paulatim acquiritur, ita vt & paries dum dealbatur modo minus albus sit, postea magis albus futurus, & vnus paries magis albus altero inueniatur. Non sic est in substantia; & propterea nõ suscipit magis & minus.

Vbi aduerte, quòd aliud est substantiam esse maiorem & minorem, (hoc enim verissimum est) & aliud substantiam suscipere magis & minus, quod fieri non potest; & hic negatur.

Sexta. Proprium est substantiæ, posse suscipere cõtraria non simul & semel, sed alternatim seu successiuè. Et dum suscipit contraria, mutatur per ipsa quantum ad esse accidẽtale: vt homo modo est calidus, modo frigidus.

De Quan-

De Quantitate.

De hac tria dicentur. Quid significet. Quottuplex sit. Quot & quas habeat proprietates.

Significat autem Quantitas dimensionem, seu mensuram substantiæ in qua est.

Declaratur hoc. Petrus est substantia, & mensuratur per suam quantitatem, dum dicitur: Petrus est tricubitalis, hoc est, magnitudo Petri tres cubitos in se continet. Similiter, Auditores Logices sunt homines, ac proinde substantiæ, & per suam quantitatem mensurantur. Nam si interrogetur, quot sunt auditores Logicæ? diceretur, decem.

Diuisio.

Quantitas est duplex. Continua & Discreta.

Continua est, cuius partes continuantur & vniuntur in vno termino communi seu intermedio.

Tales autem Quantitates continuæ sunt quinq;.

Linea, Superficies, Corpus, Tempus & Locus.

Inprimis itaq; Linea, (quæ est longitudo sine latitudine) habet partes coniunctas & copulatas ad vnum terminum communem, videlicet ad punctum intermedium. Quod quamuis non appareat, designatur tamen secundũ imaginationem per Mathematicos. Quod meliùs in Physicis intelligitur.

Similiter Superficies, (quæ est longitudo cum latitudine simul) habet pro communi termino mediam lineam, in qua copulantur partes superficiei.

Corpus quoque quod est & longum & latum & profundum, pro termino cõmuni habet superficiẽ.

Temporis

Temporis partes ſunt: Præteritum & Futurum. Quæ quidem partes coniungũtur in termino communi, qui eſt nunc, ſeu momentum præſens (facilitatis cauſa.) Nam momentum, præteritum tempus terminat & futurum inchoat.

De Loco intellige idem quod de Superficie. Hoc autem in Phyſicis declarabitur.

Diſcreta Quantitas eſt, cuius partes ſunt omnino ſeparatæ & à ſe diuerſæ, nec conueniunt in aliquo termino communi.

Tales autem quantitates diſcretæ ſunt duæ tantùm: Numerus & Oratio.

Nam in numero, vt puta decem, vel ſeptem, omnes partes ſunt ſeparatæ. Similiter partes orationis, quæ ſunt dictiones & ſyllabæ, ſunt ſeparatæ.

Proprietates ſunt tres.

I. Quantitati nihil eſt contrarium: vt, Bicubito, tricubito, denario, ſenario.

II. Quantitas non ſuſcipit magis & minus; neque enim vna linea eſt magis linea quàm altera.

III. Tantùm propter quantitatem alia dicuntur æqualia, alia inæqualia.

Coordinatio generum & ſpecierum in hoc Prædicamento.

Quantitas.

- Continua
  - *Linea, Superficies, Corpus, Tempus, Locus.*
- Diſcreta
  - *Numerus, & Oratio.*

De Quali-

De Qualitate.

De qua tria. Deſcriptio, Diuiſio, & Proprietas.

Deſcriptio eſt iſta. Qualitas eſt, ſecundũ quam ſubſtantiæ dicuntur quales. Nam ſicut ſecundũ quantitatem dicitur ſubſtantia, quanta; ita ſecundum qualitatem, qualis: vt ſecundum ſcientiam Thomas dicitur ſciens, ſecundum bonitatem bonus.

Diuiſio.

Quatuor ſunt ſpecies Qualitatis, non quidem ſpecialiſſimæ, ſed ſubalternæ; cùm quælibet contineat ſub ſe plures alias ſpecies.

I. Species Qualitatis eſt: Habitus & Diſpoſitio. Habitus quidem propter perfectiores qualitates huius ſpeciei. Diſpoſitio propter imperfectiores.

Nam Habitus ſignificat quandam vim in re exiſtentem, quę ita eſt firmiter radicata in re, vt difficilè poſſit ab ea ſeparari.

Exemplum. Scientia perfectè acquiſita. ſimiliter ars & virtus, &c.

Diſpoſitio ſignificat quandam vim debiliter adhærentem rei, & quæ poteſt facilè remoueri ab ea: vt ſcientia imperfectè acquiſita in diſcipulo. Vnde habitus eſt permanentior & diuturnior.

Dicitur autem habitus, quia per ipſum res certo quoddam modo (ſcilicet, bene, perfectè,) ſe habet ſiue in ſe, ſiue ad operationem.

Duplex autem eſt Habitus: Corporalis & Spiritualis.

Corporalis, qui perficit rem in ſuo proprio eſſe: hoc eſt, ſecun

est,secundum naturæ suę exigentiam. Vnde à Theologis vocatur habitus essendi: vt est, sanitas, robur, pulchritudo, agilitas.

Spiritualis habitus est, qui habilitat & perficit rem ad expeditè, promptè, operandum operationes sibi conuenientes,siue in bonum siue in malum. Vnde à Theologis vocatur, habitus operandi: vt est,scientia, sapientia, ars, iustitia, abstinentia. &c. Completa itaq; descriptio habitus talis esse potest. Habitus est vis seu qualitas difficilè separabilis à re, perficiens eam siue in suo esse, siue ad operationem.

NOTA.

Reponunt Philosopi in hac prima specie qualitatis omnes virtutes & vitia: in summa, omnes habitus tam bonos quàm malos non tantùm acquisitos verùmetiam naturales, qualis est synderesis,quæ est habitus primorum principiorum moralium,similiter habitus principiorum speculatiuorum.

Huc reducunt aliqui etiam actiones immanētes, & species tam intelligibiles quàm sensibiles; cùm sint velut quædam dispositiones, & quasi habitus perficientes agens.

Huc Theologi referunt etiam habitus supernaturales, fidem, spem, charitatem: imo aliqui gratiam quoq; huc reducunt. Nec pauci ipsum quoque lumē gloriæ,quod est quædam diuina,quamuis creata qualitas,existēs in intellectu beati,quasi quidam habitus ipsum confortans & eleuans ad videndum diuinā essentiam. Quamuis hoc lumē etiam ad tertiam speciem alij referant,sicut & lumen corporale.

Secunda species Qualitatis, est naturalis potentia & impotentia. Naturalis quidem potentia pro perfectioribus qualitatibus huius speciei,impotentia verò pro imperfectioribus.

Est autem naturalis potentia, aptitudo & quædā fortitudo à natura indita,ad facilè agendum aliquid & non facilè patiendum, sed resistēdum: vt in igne vis calefaciendi,quæ est calor; in sole potentia illuminandi, quæ est lux; in lapide grauitas,qua tendit deorsum; in cursore naturalis vis currendi; in duro, naturalis fortitudo resistendi, vt non facilè secetur.

Naturalis impotentia, est quædam imbecillitas à natura indita, propter quam res efficitur inepta ad operandum & apta ad patiendum. Hanc habent insalubres seu ægrotatiui, qui propter naturalem debilitatem facilè infirmantur, & difficilè sanantur. Talis est mollitudo lanæ, propter quam non facilè resistit sed facilè secatur. Similiter ineptitudo naturalis ad currendum vel pugillandum.

Reponuntur autem in hac secunda specie qualitatis omnes inclinationes seu aptitudines naturales rerum: vt in lapide grauitas,qua lapis inclinatur ad locum deorsum; in fumo leuitas, qua inclinatur ad locum sursum. Et omnes proprietates rerum, quæ etiam propriæ passiones appellantur: vt risibilitas, mugibilitas, latrabilitas, id est, potentia ridendi,latrandi, &c. & omnes potentiæ animæ cuiuscunq; vegetatiuæ, sensitiuæ, intellectiuæ.

Ad hanc speciem aliqui reducunt omnia instrumenta, quæ dicunt, ex se non tam formam quàm virtutē agendi importare: vt est gladius, malleus. &c

Graues

Graues Theologi huc reducunt characterem ſacramentalem: ſed tunc hanc ſpeciem qualitatis nõ naturalem potentiam dicerent, ſed abſolutè potentiam ſeu vim, ſiue ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis.

Tertia ſpecies Qualitatis eſt, Paſſio ſeu paſſibilis qualitas. Paſſio quidem propter qualitates huius ſpeciei imperfectiores: paſſibilis verò qualitas propter perfectiores.

Nam qualitas huius ſpeciei, ſi diu durat in re, vocatur paſſiblis qualitas: & eadem alibi citò tranſiens dicitur paſſio.

Paſſio itaq; ſeu paſſibilis qualitas, ſignificat illam qualitatem quæ generat paſſionem: hoc eſt, tranſmutationem corporalem in aliquo, aut generatur ex aliqua paſſione propriè dicta, id eſt tranſmutatione naturali.

Talia ſunt omnia obiecta, quæ percipiuntur quinque ſenſibus: vt albedo, nigredo, ſonus, odor, ſapor, calor, frigus, &c. Quæ vocantur qualitates ſecundum corpus.

Item illæ qualitates, quæ vocantur ab Ariſtotele paſſiones ſecundum animam: vt amor, odium, ira, gaudium, timor, &c. quæ paſſiones ideò vocantur, quia eas ſtatim conſequitur tranſmutatio naturalis in corpore: ſicut iram conſequitur accenſio ſanguinis circa cor: lætitiam, dilatatio cordis, &c.

Horum itaq; aliqua generant paſſiones, ſicut obiecta tactus, guſtus, & odoris: nam faciunt paſſionem propriè dictam in ſenſu, quem materialiter immutant.

Alia generantur ex paſſione, ſicut obiecta viſus, & auditus,

& auditus. ſcilicet color & ſonus. Semper enim colores ſunt effectus paſſionũ ſeu mutationum, cùm proueniant ex alteratione primarum qualitatum: quæ ſunt, calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. Et nimius calor agẽs in corpora Æthyopum, nigredinem in eis relinquit. Et medios colores, docet Ariſtoteles, ex cõmixtione corporum generari. Sonus ſimiliter generatur ex colliſione duorum corporum, & percipitur; quia ad aures motu locali defertur.

Hæc craſſa Minerua ſint dicta. Nam alibi ex profeſſo tractantur.

Similiter paſſiones ſecundum animam, generantur ab aliqua mutatione; ſiue naturali interna: vt naturalis ira, timor, amẽtia, quæ ſunt effectus alicuius paſſionis internæ naturalis, id eſt in ipſa generatione factæ; ſiue aduentitia, vt amentia orta ex præſentatione alicuius rei terribilis, vel ex morbo. Idem intellige de omnibus alijs paſſionibus animæ.

Hìc quoque reponunt cæteri, virtutes occultas cœli, herbarum, lapidum, veneni, quæ faciunt mutationes in corporibus.

In his enumeratis qualitatibus, facilè eſt videre differentiam inter paſſionem & paſſibilem qualitatem. Nam ſi qualitas citò tranſit, eſt paſſio: vt rubedo & verecundia, pallor ex timore, varius color ex ira, calor in manu lota aqua calida. Si autem diu durat, dicitur paſſibilis qualitas.

Poteſt autem diu durare; vel quia eſt à natura: vt albedo in cygno & niue, nigredo in coruo & Æthyope, dulcedo in melle, amaritudo in abſinthio. Vel quia eſt ab aliquo caſu forti, vt croceus color

ex ictericia; pallor ex phtiſi; amaritudo linguæ ex colera aduſta. Idem dicẽdum eſt de paſſionibus ſecundum animam. Nam ſi amor, ira, timor, &c. citò trãſeunt, paſſiones ſunt ſeu perturbationes: ſi diu durant, paſſibiles qualitates.

Dubium.

Mirum eſt, quòd Ariſtoteles calorem & frigus in omnibus iſtis tribus ſpeciebus qualitatis poſuerit. *Reſpondetur.* Calor & frigus conſiderantur diuerſimodè. Nam quatenus perficiunt naturam cui conueniunt vel non, ſunt in prima ſpecie qualitatis; quatenus perficiunt agens, in ſecunda ſpecie; quatenus afficiunt ſenſum, in tertia ſpecie.

Quarta ſpecies qualitatis eſt, Forma & Figura. Eſt autem forma & figura, quantitatis quædam figuratio extrinſecùs apparens in re: vt ſtatura hominis, leonis, & forma domus, cathedræ, ſcamni, lecti, &c.

Differentia autem inter formam & figuram (vt interim varias expoſitiones quæ obſcuritatem pariunt omittamus) ſit hæc. Quòd figuratio ſeu compoſitio quantitatis Mathematicæ conſiderata, hoc eſt, nulla ratione habita ſubiecti in quo eſt, dicitur figura: vt circulus, triangulus, quadrangulus, pyramis; non curando in quo ſubiecto ſint hæ figuræ.

Forma autem ſignificat externas figuras rerũ naturalium: vt eſt natura hominis, bouis, arboris, herbæ; imò etiam artificialium: vt eſt domus, templũ, turris, ſtatua.

Reponuntur autem in hac ſpecie omnes figuræ, tàm naturales quàm artificiales, & Mathematicæ.

Proprie-

Proprietates Qualitatis ſunt tres.

Prima. Contrarietas eſt in qualitate, præſertim in tertia ſpecie qualitatis: vt album contrariatur nigro, calor frigori, amaritudo dulcedini. Hæc non omnibus ſpeciebus conuenit. Nam in quarta ſpecie qualitatis non eſt contrarietas; licèt enim ibi qualitates ſint, tamen quia quantitatis extremitates ſeu terminationes ſunt, ideò ſequuntur leges quantitatis. ſed nec in alijs ſpeciebus prætertertiam, perfecta inuenitur contrarietas, vt alibi docebitur.

Secunda. Qualitas, prçſertim de tertia ſpecie, ſuſcipit magis & minus; datur enim aliquid calidius & dulcius altero. In prima & quarta ſpecie aliquando inuenitur: nam dicitur vnus homo doctior altero, & linea magis curua quàm altera.

Tertia. Maximè proprium eſt qualitati, ſecũdùm ipſam ſimile vel diſſimile dici. Nam ſecundùm albedinem homo albus, dicitur ſimilis alteri albo, & diſſimilis nigro.

De Relatione.

Relatio eſt inter duo relatiua ſeu correlatiua, quæ ab Ariſtotele adaliquid vocantur.

Relatiuum itaq; ſeu adaliquid eſt illud, cuius natura conſiſtit in hoc quod referatur ad aliud: vt Pater & filius; nam pater refertur ad filium, & viceuerſa. Similiter Dominus & ſeruus.

Pro huius declaratione ſciendum eſt. Quòd rerum quædam ſunt abſolutæ, id eſt, ab omni reſpectu ſolutæ ſeu liberæ: vt homo, bos, riſibilitas, linea, &c. Aliæ ſunt reſpectiuæ, quæ ex natura ſua

C 2 vendicant

vendicant sibi vt respiciant aliud & referantur ad ipsum, & tales res hîc definiuntur.

Diuisio.

Duplex est Relatiuum: Secundum esse, & secundum dici.

Relatiuum secundum esse est illud, quod principaliter & essentialiter significat respectum: vt dominus, seruus, pater, filius, &c. Nam ista ex primario suo significato ad aliud referuntur. Neq; enim dicitur pater, nisi habeat filiũ, & referatur ad ipsum.

Relatiuum secundum dici est illud, quod principaliter significat rem absolutã & secundariò connotat respectum. Vt scientia significat rem absolutam; nam est in prima specie qualitatis, & secundariò respicit rem scitam; non enim posset esse scientia, nisi de re aliqua quæ scitur. Vnde dicitur scientia, scibilis sciẽtia. Similiter: Virtus, virtuosi virtus: & vitium, vitiosi vitium.

Relatiuum secundum esse triplex. Secundum Æquiparantiam, Superpositionem, & Suppositionem.

Secundum Æquiparantiam, id est æqualitatem, excluso vtrinq; excessu, sunt illa quę sub iisdem nominibus ad se referuntur: vt Similis, simili similis. Æqualis, æquali æqualis. Amicus, amico amicus. Vicinus, vicino vicinus.

Secundum Superpositionem, vbi in primo relatiuo maior aliqua prærogatiua est: hoc modo Pater refertur ad filium, Dominus ad seruum, Magister ad discipulum, &c.

Secundum Suppositionem, vbi in primo relatiuo aliqua subiectio inuenitur: quo modo filius refertur ad

fertur ad patrem, seruus ad dominum, discipulus ad magistrum.

Proprietates.

Prima. Non in omni relatione inuenitur contrarietas. Nam in relatiuis secundum esse, nulla vnquã inuenitur. In relatiuis verò secundum dici, potest inueniri: vt virtus contrariatur vitio, idq; non perfecta contrarietate.

Secunda. Quædam relationes suscipiunt magis & minus. Nam Petrus dicitur similior Paulo quàm Iacobus. Sed hoc non omnibus conuenit. Nam pater non dicitur magis pater quàm alter.

Tertia. Omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam, hoc est, mutuò referuntur ad se inuicem: vt Pater, filij pater; & viceuersa, Filius, patris filius. Nam conuertentia hîc inuenit retrogradam relatiuorum repetitionem, seu mutatum vel inuersum ordinẽ inter correlatiua, vt in hoc exemplo patuit.

Quarta. Omnia relatiua simul sunt natura. Nam vnum non est prius altero; & posito vno, statim ponitur & reliquum, sicut & ablato, aufertur. Vnde dicit Aristoteles: Relatiua posita, se ponunt; perempta, se perimunt.

Scito autem, quòd quamuis ille homo qui pater dicitur & huius relationis est subiectum, sit prior filio: non tamen est prior, quatenus pater. Nam quàm citò est pater, tam citò habet filium. Potest itaq; subiectum relationis prius esse correlatiuo.

Quinta. Relatiua omnia sunt simul intellectu, hoc est, vnum non potest intelligi neque cognosci absq; altero. Nam in definitione vnius relatiui ponitur

nitur reliquum correlatiuum, & viceuersa. Propterea dicit Aristoteles: Si quis nouerit definitionem vnius, sciet & definitionem alterius.

His quatuor Prædicamentis principalioribus absolutis, restant sex intellectu faciliora, de quibus Aristoteles quàm breuissimè tractat, nimirùm per exemplorum subiectionem tantùm. Quod quidem consultissimè fecit. Nam facilia si paulò profundiùs & accurratiùs explicentur, multoties obscurantur & implicantur. Nos itaq; consilium Aristotelis sequemur.

De Actione & Passione.

Actio est: vt secare, ædificare, flagellare, legere, &c.
Passio est: vt secari, flagellari, scindi, &c.

NOTA.

Caue ne actiones immanentes, quæ videlicet manent in ipso operante: vt intelligere, velle, sentire: hîc colloces. Ad primam speciem qualitatis hæc reducuntur. Hic locus capit solas actiones transeuntes, quæ scilicet transeunt ab operante in opus externum: vt est ædificare, arare, &c. quicquid alij dicant.

De Vbi & Quando.

In Prædicamento Vbi reponũtur illa omnia, quæ conuenienter respondentur ad interrogationem factam per Vbi: vt, in ciuitate, in villa, in templo, in palatio. &c.

Quando. In hoc Prædicamento reponuntur omnia, quæ responderi possunt ad interogationem factam per

ctam per Quando: vt, hodie, heri, nudiustertius, cras, postridiè, &c.

De Situ seu Positione.

Situs significat collocationem seu dispositionem partium alicuius corporeę substantiæ secũdum sursum & deorsum, antè & retro, dextrũ & sinistrum: vt sedere, stare, iacere, pronum esse, supinum esse.

Hæc autem dispositio partium potest esse à natura, & à voluntate, & à casu.

A natura quidem: vt situs hominis requirit caput in superiori loco esse, pedes verò in inferiori: Bruti natura exigit caput esse ante, reliquum verò corpus retro.

A voluntate: vt sic vel sic sedere, sic vel sic iacere, pro singulorum voluntate.

A casu: vt decidens ex tecto, casu habet caput in inferiori loco, pedes verò in superiori.

De Habitu.

Habitus hoc in loco nihil aliud significat quàm hominem sic vel sic esse vestitum, siue secundum totum, siue secundum partem: vt esse tunicatum, esse armatum, esse galeatum, esse pileatum, esse calceatum, caligatum, esse togatum.

Vbi animaduertendum est, quòd Habitus qui est vltimum Prædicamentum, non significat hominem habentem vestem, nec significat vestem habitam, sed significat medium quoddam accidens, inter hominem habentem, & vestem habitam; proueniens ex eo quòd homo habet vestem seu potiùs est

ùs est vestitus. Et hoc medium accidens, seu respectus inter hominem & vestem, dicitur Habitus, & exprimitur per hæc verba: esse vestitum, &c.

De Postprædicamentis.

Postprædicamenta complent doctrinam Prædicamentorum, & vt meliùs intelligãtur & penetrentur Prædicamenta, iuuant.

Sunt autem quinq; Postprædicamenta.

Oppositio, Prius, Simul, Motus & Habere.

Oppositio. Est repugnantia duorum terminorum incomplexorum.

Et est Oppositio quadruplex.

Relatiua, Contraria, Priuatiua, & Cõtradictoria.

Relatiua Oppositio. Est repugnantia inter relatiuum & suum correlatiuum: vt inter patrem & filium est oppositio relatiua, dominũ & seruum. In summa, omnia relatiua sunt opposita relatiuè.

Oppositio contraria. Est repugnantia inter duo accidentia, quæ sibi in eodem subiecto succedere possunt, nisi alterum eorũ sit connaturale subiecto. *Exemplum.* Albedo & nigredo, sanitas & ægritudo, virtus & vitium, calor & frigus. Hæc enim accidentia mutuò se expellunt ab eodem subiecto. Nam adueniente calore in aquam, vel aliquod aliud subiectum, expellitur frigus. Similiter id quod est album, potest esse nigrum, & viceuersa; dummodò albedo non insit alicui subiecto ab ipsa origine, quemadmodum inest cygno & niui.

Vbi

Vbi scire oportet Contraria esse duplicia.

Mediata & Immediata.

Mediata: vt albedo & nigredo. Nam inter albedinem & nigredinem sunt multi medij colores: vt rubedo, &c. Similiter inter calorem & frigus datur tepiditas, quæ est media inter calorem & frigus.

Immediata contraria sunt: vt vitium & virtus, sanitas & ægritudo. Nam animal non potest esse, nisi aut sanum aut ægrum.

Priuatiua oppositio. Est repugnantia inter certam formam quæ alicui subiecto debetur, & priuationem illius formæ: vt visus & cœcitas, mors & vita, lumen & tenebræ, auditus & surditas. Nam visus debetur oculo, & cœcitas est priuatio visus in oculo, habente aptitudinem ad videndum. Similiter: Vita est forma corporis viuentis, & mors est priuatio vitæ in corpore, quod habebat aptitudinem ad videndum. Similiter: Potentia ambulandi est forma in pedibus existens, & claudicatio est priuatio potentiæ ambulandi in pedibus, qui aliàs habent aptitudinem ad ambulandum.

Contradictoria oppositio. Est repugnantia inter rem simplicem & eius puram negationem, per aduerbium Non: vt homo, non homo. Currere, nõ currere. Cœlum, non cœlum. Angelus, nõ Angel9, &c.

Secundum Postprædicamentum Prius.

Prius dicitur quinq; modis.

Tempore: vt id quod est antiquius, sicut homo triginta annorum prior est homine decem annorũ.

Secundò dicitur Prius, ordine, vt in concione prooemium

œmium prius eſt tractatione, & peroratione. Similiter literæ ſunt priores quàm ſyllabæ, & ſyllabæ quàm dictiones, & dictio quàm oratio.

Tertiò. Prius dignitate, vt Rex prior eſt Duce, id eſt, dignior & honorabilior; & Dux prior eſt Palatino.

Quartò. Prius natura exiſtentiæ: Eſt autem prius ſecundum naturam exiſtentiæ, quod requiritur ad exiſtentiam alterius, illud autem alterum non requiritur ad exiſtentiam illius primi. Et talis prioritas eſt in numeris; nam præcedens reſpectu ſequentis eſt prior: vt numerus binarius, prior eſt ternario. Ad hoc enim quòd ſit numerus ternarius, requiritur binarius; ſed ad hoc quòd ſit binarius numerus, non requiritur ternarius. Vnde bene ſequitur: Mercator habet tria millia, ergò habet duo millia; quoniam ad conſtitutionem trium millium requiruntur etiam duo millia, ſed non viceuerſa. Neq; enim valet: Mercator habet duo millia, ergo etiam habet tria millia; quoniam ad eſſe duorum millium, non requiritur eſſe trium millium.

Similiter talis prioritas inuenitur in ſuperiori reſpectu inferiorum. Vnde animal prius eſt homine, & homo prior eſt Petro: & ad hoc quòd ſit Petrus requiritur quòd ſit homo: verùm ad hoc quòd exiſtat homo, non requiritur quòd ſit Petrus.

Communiter autem tale prius dicitur, à quo nõ conuertitur exiſtendi conſequentia. Nam iſta conſequentia eſt bona: Petrus exiſtit ſeu eſt, ergo & homo eſt. Sed non licet iſtam cõſequentiam conuertere, vt initium ſumatur ab homine, hoc modo: Homo eſt, ergo Petrus eſt; nam poteſt eſſe aliquis alius

alius præter Petrum. Homo itaq; hìc eſt prior Petro; quoniã ab ipſo non licet conuertere conſequẽtiam. Idem dicendum eſt in numeris. Licet enim procedere ab exiſtentia poſterioris numeri ad exiſtẽtiam præcedẽtis numeri, hoc modo: Apud mercatorem ſunt triginta floreni, ergo etiam ſunt decem, ſed non è conuerſo; nam conuertere non licet, hoc modo: Sunt apud eum decem floreni, ergo ſunt triginta. Vnde, quoniam à decem non licet reuerti ſeu conuerti, decem ſunt prius quàm triginta.

Quinto modo dicitur Prius natura cauſalitatis, id eſt ſecundum naturam cauſæ, quæ ſemper prior debet eſſe ſuo effectu: quamuis interdum cauſa & effectus inſeparabiliter coniungantur, vt ſubiectum & ſua proprietas. Nam homo prior eſt ſua riſibilitate, cùm eſſentia hominis ſit cauſa riſibilitatis. Similiter equus eſt prior hinnibilitate, bos mugibilitate, canis latrabilitate. Eodem modo: ambulatio mea eſt cauſa, quòd iſta oratio ſit vera; Nicolaus deambulat. Itaque meum ambulare eſt prius oratione, cùm ſit cauſa illius quantùm ad veritatem.

De Poſtprædicamento Simul, *quod dici ſolet Simultas.*

Tribus modis dicuntur aliqua Simul.

Tempore, natura relationis, & natura diuiſionis.

Illa ſunt ſimul tempore, quæ in eodem tempore generantur vel fiunt: vt duo gemelli vel duo homines eodem tempore nati. Similiter ſubiectum & ſua proprietas.

Simul natura relationis, ſunt omnia relatiua, quorum hæc

rum hæc est conditio, vt simul sint & non sint: & vnum relatiuum nō sit causa alterius, sed terminus seu correlatiuū: vt pater & filius, dominus & seruus.

Simul natura diuisionis sunt illa, quæ condiuidunt, id est simul sumpta diuidunt aliquid; & hoc modo omnes species sunt simul. Similiter omnes differentiæ, nam condiuidunt genus: vt rationale & irrationale. Similiter homo, bos, leo, aquila, & aliæ species animalis, quæ sunt hoc modo simul, respectu eiusdem animalis quod diuidunt.

De Motu.

Motus est quædam mutatio, per quam res aliter se habet nunc, quàm priùs.

Motus sunt sex species. Generatio, Corruptio, Augmentum, Diminutio, Alteratio, & Motus secundum locum.

Generatio. Est mutatio à non esse ad esse: vt cùm aliquod animal generatur, exit à non esse & acquirit esse.

Corruptio. Est mutatio ab esse ad non esse: vt cùm homo moritur, transit ab esse (quia priùs fuit) & deuenit in non esse.

Augmentum. Est mutatio à minori quantitate ad maiorem: vt cùm puer crescit, progreditur à minori quantitate ad maiorem.

Diminutio. Est mutatio à maiori quantitate ad minorem: vt cùm aliqua pars domus aufertur, dicitur domus diminui.

Alteratio. Est mutatio à contrario in contrarium vel in medium: vt calefactio aquæ est alteratio, per quam

quam aqua mutatur de frigore in calorem. Similiter dum paries dealbatur, dealbatio est alteratio, per quam paries mutatur à nigredine vel alio medio colore ad albedinem; similiter sanatio, ægrotatio, sunt alterationes.

Secundum locum motus. Est mutatio ab vno loco ad alium locum: vt cùm quis exit de domo ad templum, est motus localis. &c.

Huius autem motus localis sunt sex differentiæ. Nam aut mouetur aliquid localiter sursum, aut deorsum, aut ante, aut retro, ad dextrum, aut ad sinistrum.

Vltimum Postprædicamentum est Habere.

Cuius septem sunt modi famosiores & principaliores, & cognitioni Prædicamentorum accomodatiores.

Primo enim modo dicitur aliquis habere Qualitatem: vt scientiam, virtutem, albedinem, calorem.

Secundo. Quantitatem: vt Petrus habet staturam trium cubitorum.

Tertio. Dicitur aliquis habere ea, quæ circa corpus humanum sunt, nimirum vestem, pileum, calceos, &c. Et hic modus constituit vltimum Prædicamentum Habitus, secundum declarationem suo in loco factam.

Quarto. Habere membrum: vt habere caput, manus, pedes, &c.

Quinto. Habere contentum, id est rem contentam in se: vt vitrum dicitur habere vinum, dolium ceruisiam, modius triticum.

Sexto

Sexto. Habere possessionem: vt domum, agrum, villam.

Septimo. Habere vxorem. De quo Aristoteles dicit, quòd non sit tàm proprius modus quàm præcedentes. Nam in præcedentibus id quod habet non dicitur vicissim haberi; hîc autem, vir habet vxorem, & habetur ab ea.

LIBER TERTIVS.

De Enuntiatione seu Propositione.

Qui correspondet duobus libris Perihermenias.

De hac autem Enuntiatione quatuor dicentur. Primò, Definitio. Secundò, Partes. Tertiò, Diuisiones. Quartò, Proprietates.

Definitio ab Aristotele talis datur.

Enuntiatio, est oratio in qua est verum vel falsum: vt homo est rationalis, est oratio; & quoniam est vera, ideo est Enuntiatio. Sicut & ista: homo est asinus, est oratio falsa; ideo est Enuntiatio.

Dicitur autem Enuntiatio propterea, quòd per eam enuntiatur seu asseritur verum aut falsum.

Pro maiori declaratione, sciendum, quòd oratio est duplex. Perfecta & Imperfecta.

Imperfecta est, quæ non complet sententiam; ideo nec quietat auditorem, nec sensum perfectũ habet.

Talis autem imperfecta oratio quatuor modis formatur.

I. Per adiectiuum cum substantiuo: vt Sigismundus tertius.

II. Per duo substantiua secundum appositionem: vt Sigismundus Rex.

III. Per verbum infinitiui modi: vt Thomam discere.

IV. Per verba incipit & desinit: vt Thomas incipit. In his omnibus adhuc expectat auditor finem sermonis; dum enim dicitur, Thomas incipit; animus eius desiderat scire, quid Thomas incipiat; disputare, an verò legere.

Et in istis orationibus imperfectis, non esse quærendam Enuntiationem, clarum est. Nam non tantùm non exprimitur verum, aut falsum, sed etiam sermo non completur.

Sunt etiam orationes perfectæ, quæ non detinẽt auditorem suspensum, sed perficiunt orationem. Et tales sunt quinque.

Enuntiatiua seu Indicatiua. Quæ exprimitur per indicatiuum modum: vt Deus est misericors.

Deprecatiua. Vt miserere mei Deus. Ad quam reducitur optatiua: vt vtinam essem bonus religiosus.

Imperatiua. Vt auferte ista hinc.

Interrogatiua. vt, Quid me vis facere? Ad quam reducitur dubitatiua: vt, Eritné bonus exitus belli?

Vocatiua. vt, ô bone vir. Ad quam reducitur exclamatiua: vt, ô infinitæ misericodiæ Deus.

Ex istis orationibus perfectis sola indicatiua est, in qua est verum vel falsum. Et ideo talis indicatiua & sola indicatiua, est apud Logicos Enuntiatio. In cæteris autem Enuntiationibus perfectis non inuenitur ve-

nitur verum vel falſum. Per vocatiuam enim orationem, excitatur aliquis ad audiendum. Per interrogatiuam, prouocatur ad reſpondendum. Per deprecatiuam, mouetur ſuperior ad exequendum. Per imperatiuam, excitatur inferior ad exequendum.

Vnde tales orationes ratione bonę cōſtructionis ſpectant ad Grammaticum, ratione verò ſignificationis per quam diſponitur auditor ad audiendum & reſpondendum, ad Rhetores & Poëtas.

ANNOTATIO.

Subiunctiua oratio non eſt enumerata inter alias orationes perfectas: nam iſta facit propoſitiones Hypotheticas, de qua infra.

Partes Enuntiationis ſunt duæ.
Nomen & Verbum.

Vbi aduerte, nos non dixiſſe duas partes orationis, quoniam has eſſe octo apud Grammaticos conſtat, quas Logicus præexigit, ſicut & Grammaticam totam. Sed dicimus Enuntiationis partes eſſe duas, nimirum quæ neceſſariò requiruntur ad exprimendum verum vel falſum: & vt plurimùm ſufficiunt abſque admixtione aliarum partium orationis. Quamuis aliqui Pronomen reducant ad Nomen, Participium verò interdum ad Nomen, videlicet, quando eſt ſubiectum, interdum ad Verbum, quando eſt prædicatum.

Nomen. Eſt vox quæ ſignificat aliquid, ad placitū eius qui impoſuit nomina rebus, ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat finita, & recta.

DECLARATIO.

Dicitur vox. Quia nomen profertur ab ore animalis. & hoc ponitur ad differentiam ſoni, qui eſt ex percuſſione quorumcunq; duorum corporum, etiam inanimatorum.

Dicitur ſignificatiua: ad differentiam vocum ore hominis prolatarum, nihil tamen ſignificantium: vt Ba, be, bi, bo, bu. &c.

Dicitur tertiò, ad placitum: vt inſinuetur nomen eſſe inuentum à primo impoſitore ſecundum eius voluntatem: & vt excludantur voces ſignificantes naturaliter: vt gemitus infirmorū, naturaliter apud omnes ſignificat dolorem; cachinus, qui ſignificat lætitiam: latratus canis, naturaliter ſignificat apud homines, iram vel lætitiam.

Dicitur quartò, ſine tempore: ad differentiā Verbi, quod ſignificat cum tempore.

Significare autem cum tempore, eſt ſignificare rem aliquam adiuncta aliqua differentia temporis, videlicet præſentis, pręteriti vel futuri. vt curro, ſignificat curſum, ſed cum tempore præſenti. Nomen autem quamuis interdum ſignificet tempus, vt hora, dies, &c. imò & aliquam differentiam temporis, vt præſens, præteritum, futurum, quæ ſunt nomina: nunquam tamen conſignificabit tempus, ſeu (quod idem eſt) nunquā ſignificabit cum tempore.

Dicitur quintò, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, vt animal. Nam *ani*, nihil ſignificat: ſimiliter *mal*, nihil ſignificat.

Et quamuis ſint aliqua nomina compoſita, quorum partes videntur ſeorſim ſecundum apparentiam aliquid ſignificare, vt equiferus: ſecundum veritatem tamen non ſignificant id, quod in nomine

composito significabant. Nam etiam nomen compositum significat aliquem simplicem conceptum seu cogitatum intellectus: pars verò nominis compositi, neque totum simplicem conceptum significat; neq; partem illius (cùm sit simplex) significare potest. Sed hæc aliàs meliùs intelligentur.

Dicitur sextò, finita: id est determinatæ significationis: vt homo, angelus, cœlum. Per hanc autem particulam excluduntur omnia Nomina infinita, qualia sunt omnia sumpta cum Aduerbio non; vt non homo, non cœlũ, non Angelus; quæ dicuntur infinita, id est indeterminatæ significationis. Omnia enim ista verificantur & de rebus existentibus: vt equus est non homo; & de rebus non existentibus: vt chymera est non homo.

Vnde, quoniam nihil determinati talia nomina indefinita significãt, inutilia sunt Logico; nisi quis per Nomen infinitum subintelligeret aliquam rem determinatam: vt non rusticus pugnat & vincit: subintelligendo per non rusticum, strenuum aliquem militem.

Dicitur vltimò, recta: vt excludantur casus obliqui, Petri, Petro, Petrum. Hominis, homini, hominem: & insinuetur solos rectos casus, id est, nominatiuos esse admittendos ad Enuntiationem: tum quia clariùs exprimitur veritas per nominatiuum casum: tum quia vt plurimùm per solos nominatiuos casus solet exprimi verum & falsum.

Et si consilium Aristotelis consideremus & obseruemus, quo ille omnia in gratiam demonstrationis docet: videbimus ipsum rationabiliter solos rectos casus ad propositiones admittere.

admittere. In demonstratione enim (vt suo loco patebit) omnes propositiones seu enuntiationes, ex rectis casibus constant, saltem vt plurimùm. Nam proprietas in recto, prædicatur de suo subiecto: causa quoq; plerumq; in recto ponitur. Præterea, fortasse non est in Græco obliquus casus, à quo non possit formari siue adiectiuum siue substantiuum in recto, præsertim cùm fingere vocabula liceat, permittente Aristotele in libris Prædicamentorum.

Verbum est, quod cõsignificat tempus, cuius nulla pars separata significat, semperque est signum quòd aliqua prædicentur.

Aristoteles non omnes particulas expressit in definitione Verbi, sed præcipuas. Ex his autem duæ sunt, per quas distinguitur Verbum à Nomine. Nam primò consignificat tempus: id est, significat rem, non per modum permanentis sicut Nomen, sed per modum fluxus seu motus, vel actionis aut passionis, adiuncta aliqua differentia temporis: vt curro, &c. Secundò dicitur. Esse signum prædicationis: quoniam nunquam prædicatio est absq; Verbo, vt in hac oratione: *homo albus*, non est prædicatio; adiuncto autem Verbo, erit prædicatio: vt *homo est albus.*

Si autem completa definitio Verbi esset adducenda, plures particulæ essent congerendæ, & ex definitione Nominis accipiendæ, quas vult Aristoteles subintelligi: esset itaque talis definitio.

Verbum est vox, quæ significat aliquid ad placitum primi inuentoris vocabulorum, cum tempore: cuius nulla pars separata significat, finita & recta.

Vbi omnes particulæ ex præcedentibus sunt manifestæ.

nifestæ. Vltima tamen etiam nunc est declaranda, videlicet recta. Per hanc enim particulam insinuatur etiam in Verbis secũdum Logicos esse quasi casus obliquos, videlicet variationem Verbi, siue secundum modum: vt lege, curre; siue secundum tempus: vt cucurri, currebam; siue secundum modum & tempus: vt cucurrissem, legito, currito. Solus itaq; indicatiuus modus, idque præsentis temporis, dicitur quasi casus rectus apud Logicum. Variatio autem secundum numerum vel personam: vt curris, currimus; quoniam non est variatio ex parte actionis sed ex parte subiecti tantùm, non constituit casum obliquum.

Sciendum etiam est, quòd duplex est Verbum apud Logicum. Substãtiuum & Adiectiuum. Substantiuum vnum tantum est, videlicet Sum, es, est, quod ad substantiam seu existentiam rei spectat. Et Adiectiuum, quod comprehendit omnia cætera Verba, præter Sum: vt curro, lego, audio, &c. quæ dicuntur Adiectiua, quia sunt quasi aduentitia accidentia, & adiecta rebus. Quæ autem vocatiua apud Grammaticos dicuntur, hic æquipollent substantiuo Verbo: nam ideò aliquid dicitur, vocatur, appellatur, nuncupatur homo, quia in rei veritate est homo. Fundamentum itaque nuncupationis & aliorum Verborum adiectiuorum est, Esse.

Diuisiones Enuntiationis sunt quatuor.

Prima, penes substantiam seu naturam (nam ad naturam propositionis pertinet constare ex tot dictionibus pluribus, vel paucioribus, quarum additio mutationem eius substãtialem inducit.) Secunda, penes

da, penes quantitatem. Tertia, penes qualitatem. Quarta, penes materiam.

Penes Substantiam est ista.

Duplex est Substantia. Cathegorica & Hyppothetica.

Cathegorica, Latinè prædicatiua, est quæ habet subiectum prædicatum, & copulam vnam tantum: vt Thomas est ingeniosus. *Subiectum est* Thomas, (nam subiectum est de quo aliquid enuntiatur seu dicitur) ingeniosus verò *est Prædicatũ*, (quia prædicatum est, quod de alio dicitur) copula verò est Verbum substantiuum, (*est*) quod ideò copula dicitur, quia copulat seu coniungit prædicatum cum subiecto.

De Hyppothetica propositione, quæ componitur ex duabus Cathegoricis, inferiùs dicetur.

Prima Subdiuisio.

Tres sunt ordines Enuntiationum Cathegoricarum.

I. De secundo adiacente.
II. De tertio adiacente.
III. De Verbo adiectiuo.

De secundo adiacente. Quando Verbum substantiuum prædicatur, & post illud nullum Nomẽ sequitur: vt homo est, cœlum est, Angelus est.

De tertio adiacente. Quãdo post Verbum substantiuum Nomen aliud sequitur: vt homo est mortalis, cœlum est incorruptibile, Angelus est immaterialis.

Propositio de Verbo adiectiuo est. Quando prædicatur Verbum quodcunq; præter Sum, es, est: vt homo discit, cœlum mouetur, Angelus intelligit.

In Propositionibus itaq; de tertio adiacente manifestè videmus ista tria. Subiectum, Prædicatum, & copulam. Sed in Propositionibus de secundo adiacente, & de Verbo adiectiuo, non inueniũtur ista tria explicitè, sed tantùm implicitè. Et hoc patet tunc, quando Verbum quod prædicatur, siue substantiuum, siue adiectiuum, resoluitur per idem Verbum substantiuum, & Participium: vt ista propositio, Cœlum est; hoc modo cœlum est ens. Et ista: Cœlum mouetur: resoluitur sic: cœlum est motum. Similiter: Equus currit, equus est currens.

Secunda Subdiuisio.

Propositio Cathegorica cuiuscunq; ordinis sit duplex est. Simplex & Modalis.

Simplex est. In qua prædicatum simpliciter, hoc est absq; aliquo modo, vel conditione asseritur inesse vel non inesse subiecto. Vnde tales propositiones etiam dicuntur de inesse: vt Deus est, Deus est æternus, Deus regit.

Modalis est. In qua prædicatum dicitur de subiecto cum aliquo modo, additione, vel etiam Aduerbio: vt Deus est necessariò, Deus est naturaliter æternus, Deus gubernat sapienter.

Secunda diuisio Enuntiationis est penes quantitatem.

Nam in ista diuisione attenditur, quantum se extendant Enuntiationes, vel etiam restringantur. Est itaq; diuisio hæc.

Enuntiationum, alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, alia singularis.

Vniuersalis est, in qua subiectum est Nomen commune, & ante subiectum signum vniuersale. Est autem signum vniuersale, quod vel vniuersum affirmat: vt omnis, quilibet, quicunque. aut totum negat: vt nullus, nemo, nihil, neuter. *Exemplum* vniuersalis propositionis: vt, Omne aurum est metallum. Nullus homo est asinus.

Particularis propositio est, in qua subiectum est Nomen commune, & ante subiectum ponitur signum particulare. Est autem signum particulare: aliquis, quidam, nonnullus.

Exemplum. Quidam milles est fælix, aliquis homo est Philosophus.

Indefinita propositio est, in qua subiectum est Nomen commune, & non determinatur aliquo signo: vt homo mouetur, equus currit.

Singularis propositio est, in qua subiectum est nomen proprium, seu indiuiduum determinatum: vt Petrus loquitur, iste homo disputat.

OBSERVATIO.

In Syllogismorum formatione & in Propositionum conuersione, de quibus infra, idem erit iudicium de indefinita propositione & singulari, quod & de propositione particulari; vnde sicut ista est particularis: quidam homo est animal; ita & hæc indefinita: homo est animal, censebitur esse particularis in locis supradictis. Quamuis in libro de syllogismo demonstratiuo, indefinita propositio in materia naturali æquipolleat vniuersali. Sed hæc inferius meliùs intelligentur.

Tertia diuisio penes qualitatem in affirmatiuam & negatiuam.

Affirmatiua est, in qua asseritur prædicatum esse in subiecto: vt, homo est bonus.

Negatiua est, in qua prædicatum dicitur non esse in subiecto: vt, homo non est bonus.

Quarta diuisio penes materiam, id est, habitudinem seu connexionem subiecti cum prædicato, quæ sunt materia propositionis.

Enuntiatio, quædam naturalis, quædam contingens, quædam remota.

Naturalis est, in qua prædicatum naturaliter seu necessariò est in subiecto: vt homo est risibilis. Nam risibilitas est connaturalis homini, atque necessariò inest ei.

Huc interim reducuntur etiam propositiones, in quibus accidens inseparabile prædicatur de suo subiecto: vt coruus est niger, cygnus est albus.

Contingens est, in qua prædicatum potest inesse, & nõ inesse subiecto: vt homo est albus, equus currit.

Remota est, in qua prędicatum repugnat subiecto: vt homo est asinus, equus loquitur.

NOTA.

In qualibet materia est affirmatiua & negatiua propositio. Et ad quam spectat affirmatiua, ad eandem pertinet negatiua. Vnde non tantùm ista propositio: homo est asinus, *est in materia remota; verumetiam sua negatiua*: homo non est asinus: *quæ est vera. Similiter non tantùm ista propositio est in materia naturali*: homo est risibilis: *sed etiam sua negatiua*: homo non est risibilis: *quamuis sit falsa.*

falsa. Hæc enim est conditio duarum propositionum ad eandem materiam pertinentium, vt vna sit vera, altera falsa.

Ex his diuisionibus tres priores valde vtiliores sunt ad formationem syllogismorum. Vnde Logici faciunt tria quæsita de eis; videlicet, quæ, qualis, quanta.

Interrogatio *Quæ*, de substantia Enuntiationis quærit. Cui respondendum est: Cathegorica vel Hyppothetica.

Quæsitum *Qualis*, quærit de qualitate Enuntiationis. Cui respondendum est: Affirmatiua vel Negatiua.

Quæsitum *Quanta*, quærit de quantitate propositionis. Cui respondẽdum est: Vniuersalis vel Particularis, vel Indefinita, vel Singularis.

Vnde versus.

Quæ: ca, vel hyp. Qualis: ne, vel af, vn, quanta, par, in, sin. Id est, si quæritur: Quæ sit Propositio? Respondetur: Cathegorica, vel Hyppothetica. Si interrogatur: Qualis sit propositio? respondetur: Affirmatiua, vel Negatiua.

Et tandem si quæritur, Quanta? respondetur: Vniuersalis, Particularis, Indefinita, & Singularis.

Sit exempli gratia ista propositio: *Nullus homo volat.* De qua si interrogatus fueris, quæ est propositio? Respondebis: Cathegorica. Qualis? dices: Negatiua. Quanta? respondebis: Vniuersalis.

Similiter, *Angelus est custos hominis.* Quæ? dic: Cathegorica. Qualis? Affirmatiua. Quanta? Indefinita. Et sic de alijs.

Et quoniã ex coniunctione qualitatis cum quantitate

titate propoſitionum quatuor naſcuntur combinationes ſeu genera earundem propoſitionum, videlicet vniuerſalis affirmatiua: vt, Omnis homo eſt riſibilis. Vniuerſalis negatiua: vt Nullus homo eſt aſinus. Particularis affirmatiua: vt, Quidam homo eſt doctus. Particularis negatiua: vt, Quidam homo non eſt doctus.

Ideo Logici vtuntur quatuor vocalibus, a, e, i, o, quibus deſignant has quatuor combinationes.

Nam per A, deſignant vniuerſalem affirmatiuã. per E, vniuerſalem negatiuam. per I, particularem affirmatiuam. per O, particularem negatiuam.

Iuxta hos duos verſiculos.

Aſſerit A, *negat* E, *ſed ſtant communiter ambæ.*
Aſſerit I, *negat* O, *ſtant particulariter ambæ.*

Harum vocalium vſus & vtilitas, in formatione ſyllogiſmorum apparebit.

Quarta diuiſio vtilis eſt ad diſcernendum falſas propoſitiones à veris, & contingentes à neceſſarijs, atque adeò præparat diſcipulos ad ſyllogiſmum demonſtratiuum.

De proprietatibus Enuntiationis.

Ex varia combinatione Enuntiationum ſecundum quantitatem & qualitatem, naſcuntur tres proprietates Enuntiationis: Oppoſitio, Conuerſio, & Æquipollentia.

Oppoſitio, eſt duarum propoſitionum idem ſubiectum & prædicatum habentium, repugnantia vel diſcrepatio; ſiue in ſola quantitate, ſiue in ſola qualitate, ſiue in qualitate & quantitate ſimul.

In ſola quantitate, videlicet, quando vna eſt vniuerſalis,

uerſalis, altera particularis: vt, Omnis homo eſt bonus. Quidam homo eſt bonus

In ſola qualitate, quando videlicet per hoc tantùm differunt, quòd vna eſt affirmatiua, altera negatiua: vt Omnis homo eſt bonus. Nullus homo eſt bonus.

In quantitate & qualitate ſimul, quando altera eſt vniuerſalis, altera particularis; & præterea altera affirmatiua, altera negatiua: vt, Omnis homo eſt bonus. Quidam homo non eſt bonus. &, Nullus homo eſt malus. Quidam homo eſt malus.

Quadruplex autem eſt oppoſitio propoſitionum.

Contraria, Subcontraria, Subalterna, & Contradictoria. Nam in illis quatuor propoſitionum combinationibus, ſecundum quantitatem & qualitatem, oppoſitio contraria eſt inter vniuerſalem affirmatiuam & vniuerſalem negatiuam: vt, Omnis homo eſt riſibilis. Nullus homo eſt riſibilis.


Oppoſitio ſubcontraria, inter particularem affirmatiuam & particularem negatiuam: vt, Quidam homo eſt riſibilis. Quidam homo non eſt riſibilis.

Oppoſitio ſubalterna, inter vniuerſalem affirmatiuam & particularem affirmatiuam: vt, Omnis homo eſt riſibilis. Quidam homo eſt riſibilis. Et ſimiliter inter vninerſalem negatiuam & particularem negatiuam: vt, Nullus homo eſt riſibilis. Quidam homo non eſt riſibilis. *Vocatur autem ſubalterna oppoſitio, eò; quòd vna enuntiatio ſub altera ponitur.*

Oppoſitio contradictoria eſt inter vniuerſalem affirmatiuam, & particularẽ negatiuam: vt, Omnis homo

homo est risibilis. Quidam homo non est risibilis. Similiter inter vniuersalem negatiuam & particularem affirmatiuã: vt, Nullus homo est risibilis. Quidam homo est risibilis.

Hæ autem oppositiones meliùs intelligentur, si consueta figura subijcietur, in qua supradictæ combinationes ita disponantur, vt vniuersales superiùs collocentur, particulares verò inferiùs: & affirmatiuæ priores sint negatiuis.



Oppositio-

Oppositionum conditiones seu leges sunt tres.

Prima. In materia naturali, vt sciatur quæ propositio sit vera quæ falsa, qualitas est consideranda. Nam propositiones in materia naturali quomodocunq; opponantur, semper affirmatiua est vera, negatiua falsa: vt, Omnis homo est risibilis. &, nullus homo est risibilis. Similiter: Omnis homo est risibilis. &, quidam homo non est risibilis; opponũtur contradictoriè: & tamen quæ sit vera, & quæ sit falsa, non iudicatur ex diuersa quantitate sed qualitate, quòd videlicet affirmatiua vera, negatiua falsa.

Secunda conditio.

In materia contingenti, ad cognoscendam veritatem propositionum aspicienda est quantitas sola. Nam propositiones in materia contingenti quomodocunq; opponantur, semper vniuersales sunt falsæ, particulares veræ: vt, Omnis homo est iustus. &, Quidam homo est iustus. particularis est vera, vniuersalis falsa.

Tertia conditio.

In materia remota, pro inquisitione veritatis, semper est habenda ratio qualitatis tantùm. Nam propositiones in materia remota, quacunq; oppositione ex supradictis opponuntur, semper affirmatiuæ sunt falsæ, negatiuæ autem veræ: vt, Quidam homo est asinus. &, Quidam homo non est asinus: opponuntur subcontrariè, & tamen affirmatiua falsa, negatiua vera; & sic in omni oppositione.

Æquipollentia.

Æquipol-

Æquipollentia, est duarum propositionum, propter negationis appositionem, in eadem significatione conuenientia.

Et quoniam negatio tripliciter potest apponi alicui propositioni, scilicet ante signum tantùm, siue vniuersale siue particulare: vt, Non omnis homo est bonus. &, Non quidam homo est bonus. Secundò ad verbum: vt, Omnis homo non est bonus: Nullus homo non est bonus. Tertiò ad signum & ad verbum: vt, Non omnis homo non est bonus. Propterea tres regulę dãtur de Æquipollẽtiis.

Prima. Si negatio præponitur tantùm signo, tunc propositio æquipollet suę cõtradictoriæ; vt ista propositio: *Non omnis homo est bonus*: tantum valet, quãtum sua contradictoria, *Quidam homo non est bonus.* Similiter. *Non nullus homo est bonus*, æquipollet huic: *Quidam homo est bonus*. Similiter, *Non quidam homo est bonus*, æquipollet huic: *Nullus homo est bonus.*

Secunda regula. Si negatio ponitur post signum, hoc est ante verbum, propositio illa æquipollet suæ contrariæ: vt, *Omnis homo non est bonus*, æquipollet huic: *Nullus homo est bonus*. Similiter ista: *Nullus homo non est bonus*, æquipollet huic: *Omnis homo est bonus.*

Tertia regula. Si autem negatio & signum præcedat, & post signum verbo addatur, tunc propositio æquipollet suæ subalternæ; vt, *Non omnis homo non est bonus*, æquipollet huic: *Quidam homo est bonus*. Similiter. *Non nullus homo non est bonus*, æquipollet huic: *Quidam homo non est bonus*. Hæ autem tres regulæ Æquipollentiarum semper in promptu habebuntur, si vnus versiculus comprehendens illas, memoriæ mandetur.

VER-

VERSVS.

Præ; contradic; post; contra: præ; postq́; subalter.

De Conuersione.

Conuersio, est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum: vt, Homo est risibilis. &, Risibile est homo. *Vnde hæc posterior propositio dicitur conuertens, prior verò dicitur conuersa.*

Triplex autem est Conuersio.

Simplex, per accidens, & per contrapositionem.

Simplex, est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem quantitate & qualitate.

Sed hoc modo non quascunq; propositiones licet conuertere, salua veritate vtriusq; propositionis; sed tantùm vniuersalem negatiuam in seipsam: hoc est, in vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam; similiter in seipsam, id est, in particularem affirmatiuam: vt, *Nullus homo est lapis*; conuertitur simpliciter in istam, *Nullus lapis est homo* Similiter, *Quidam homo est iustus*; conuertitur simpliciter in hanc, *Quoddam iustum est homo.*

Per accidens conuersio, est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate; sed tamen mutata quantitate. Et ad talem conuersionem non omnes propositiones sunt aptæ, salua sua veritate; sed tantùm vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam, & vniuersalis negatiua, in particularem negatiuam;

tiuam: vt, *Omnis homo est animal*; conuertitur per accidens in hanc, *Quoddam animal est homo*. Similiter, *Nullus homo habet alas*, in hanc, *Quoddam habens alas, non est homo.*

Per contrapositionem conuersio, est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, remanente eadem quantitate & qualitate; sed mutatis terminis finitis in terminos infinitos. Et hoc modo conuertitur vniuersalis affirmatiua in seipsam, & particularis negatiua in seipsam: vt, *Omnis homo est risibilis*, hoc modo conuertitur per contrapositionem, *Omne non risibile est non homo.* Similiter, *Quidam homo non est doctus*: conuertitur sic, *Quoddam non doctum non est non homo.*

Vt autem hæ conuersiones semper in promptu habeantur, Logici reuocant in memoriam illas vocales quatuor, A, E, I, O, designantes quantitatem & qualitatem Enuntiationum: ex quibus conficiũt versum, in quo apparet quomodo aliqua propositio sit conuertenda.

VERSVS.

Ecce, tibi, sim: armi, geros, ac: arma, bono, con.

Prima dictio, *Ecce*, continet duo E, & designat quòd vniuersalis negatiua, in vniuersalem negatiuam simpliciter conuertitur. Secunda dictio, *tibi*, designat I. in i simpliciter esse conuertendum. Et sic de reliquis vocalibus est intelligendum. Illud autem *ac* in medio versus, designat conuersionem per accidens. Et *con*: in fine versus, designat conuersionem per contrapositionem.

De Hypo-

De Hyppothetica propositione.

Hyppothetica propositio est, quæ habet duas cathegoricas coniunctas; vt, Si Petrus est philosophus, Pet us est doctus. Vbi vides duas cathegoricas coniunctas per coniunctionem *Si*. Prima cathegorica est, *Petrus est Philosophus*: Secunda, *Petrus est doctus.*

Tres sunt ordines Hyppotheticarum propositionum.

In primo ordine collocantur illæ, quæ sunt verè & propriè hyppotheticæ.

In secundo, quæ secundum cõmunem vsum seu modum loquendi, dicuntur esse hyppotheticæ.

In tertio, quæ ex apparentia, non ex rei veritate creduntur esse hyppotheticæ.

Primus ordo continet tres veras hyppotheticas: Conditionalem, Causalem, & Rationalem.

Quamuis aliqui solam conditionalem ponant, duas verò reliquas ad conditionalem reducant, propterea quòd in omnibus his tribus, æqualiter inuenitur necessaria habitudo, seu connexio inter duas propositiones; scilicet priorem & posteriorem, quæ sunt partes hyppotheticæ: nos tamen facilitatis causa, tres expreßè numerauimus.

Conditionalis est, in qua duæ cathegoricæ coniunguntur per coniunctionem *si*, vt: *Si dies est, sol ortus est.* Et, *Si equus currit, equus mouetur.*

Causalis, in qua duæ cathegoricæ coniunguntur per coniunctionem, *Quia, quoniam, &c.* vt, *Quia magister docet, discipuli discunt.* Et, *Quoniam Petrus infirmatur, Petrus gemit.*

Rationalis, in qua duæ cathegoricæ coniunguntur per

E

tur per coniunctionem, *Ergò, igitur*: vt, *puer verberatur, ergò puer est mœstus. Paulus disputat, ergò Paulus est Logicus*

Hæ itaque tres hyppotheticæ, propterea dicuntur propriæ & veræ hyppotheticæ, quia hyppothetica significat suppositiuam propositionem. In his autem tribus prima supponitur posteriori, hoc est, prę-iacitur tanquam fundamentum posterioris. Nam posita prima, necesse est sequi secundam: vt posito, quòd puer verberatur, necessarium est sequi in puero fletum, vel saltem tristitiam. Et quoniam in sequentibus hyppotheticis non supponitur vna propositio alteri, ideò non veræ hyppotheticæ, id est, suppositiuæ dicuntur.

Cùm autem hyppothetica propositio vera & propria, duas partes seu duas cathegoricas habeat: prima propositio dicitur antecedens, secunda consequens. Nam omnis hyppothetica propria & vera est consequentia, in qua posterior propositio debet sequi & inferri ex prima. *Et nota. Quòd propositio hyppothetica vera, præsertim conditionalis, potest formari non tantùm in indicatiuo modo, verumetiam & in aliis: vt, Si homo esset bos, homo mugiret. &, Si venisses ad me, gratanter te suscepissem.*

Secundi ordinis hyppothetica propositio est duplex. Copulatiua & Disiunctiua.

Copulatiua est, in qua coniunguntur duę cathegoricæ per coniunctionem, *&, ac*, &c. vt, Ioannes est famosus, & Thomas ingeniosus.

Disiunctiua, quando duę cathegoricę coniunguntur per coniunctionem disiunctiuam, *aut, vel, &c.* vt, Magistratus permittit; aut populus est licētiosus.

OBSERVATIO.

Magnum est discrimen inter propositionem copulatiuam & disiunctiuam (quæ semper hyppotheticæ sunt secundi ordinis) & ex altera parte inter propositionem de subiecto copulato, vel de prædicato copulato, & de subiecto disiuncto, vel de prædicato disiuncto. Nam istæ de terminis copulatis aut disiunctis semper sunt cathegoricæ. Vnde propositio cathegorica de subiecto copulato est ista: Petrus & Paulus disputant. De prædicato copulato: Thomas crescit & discit. Similiter propositio cathegorica de subiecto disiuncto est: vt, Petrus aut Paulus disputat. De prædicato disiuncto: vt, Religiosus orat vel laborat.

In tertio ordine hyppotheticarum propositionum recensentur illæ, quæ reuera non sunt hyppotheticæ, sed potiùs plures cathegoricæ, quamuis cōiungantur per aliquod aduerbium, vel modum aliquem. Licet aliqui tales reducant ad copulatiuam, & in eam resoluere conentur.

Tales autem sunt quatuor: Temporalis, Localis, Similitudinaria, & Comparatiua.

Temporalis: vt, quando Petrus opponit, Paulus respondet. Hanc aliqui sic resoluunt in copulatiuam: Petrus opponit tali tempore, & Paulus respondet eodem tempore.

Localis: Vbi magister dictat, ibi discipuli scribunt.

Similitudinaria: Sicut prælatus præcipit, ita religiosi faciunt.

Comparatiua: Tàm necessarius est rector, quàm necessarius est consiliarius.

De Hyppotheticis propositionibus regulæ octo.

Prima. Poteſt eſſe hyppothetica primi ordinis vera, quamuis antecedens ſit falſum & cõſequens. *Exemplum.* Si homo eſt bos, homo eſt mugibilis. Propoſitio iſta hyppothetica eſt vera. Nam ad veritatem eius ſufficit, quòd conſequens verè & neceſſariò ſequatur ad antecedens. Hic autem ex eo quòd aliquid eſt bos, neceſſariò ſequitur ipſum eſſe mugibile. Antecedens tamen eſt falſum: videlicet, homo eſt bos. Similiter & conſequens eſt falſum: videlicet, quòd homo eſt mugibilis.

Secunda regula. Vulgò dicitur, conditionalis nihil ponit in eſſe. Hoc eſt, poteſt eſſe conditionalis vera, & tamen nec antecedens ponitur in rerum natura, neque conſequens, vt patuit in exemplo primæ regulæ: iſta enim ſecunda regula oritur ex prima. *Aliud exemplum.* Si aſinus eſſet miles, aſinus pugnaret. Iſta conditionalis eſt vera, & tamen neq; antecedens ponitur in rerũ natura, neq; conſequens.

Tertia regula. Omnis hyppothetica primi ordinis vera, eſt etiam neceſſaria. Ratio eſt: Quia ſicut ad veritatem hyppotheticæ nihil aliud exigitur, niſi vt conſequẽs verè & neceſſariò ſequatur ex antecedente; ita etiam nihil plùs exigitur ad neceſſitatẽ eius.

Quarta regula. Si propoſitionis hyppotheticę veræ de primo ordine, antecedens fuerit verum, etiam conſequens verum. Si antecedens neceſſarium, & conſequens neceſſarium: vt, Si Petrus eſt homo, Petrus eſt animal. Antecedens eſt, *Petrus eſt homo:* eſtq; verum & neceſſarium. Similiter conſequens: videlicet, *Petrus eſt animal,* eſt verum & neceſſarium.

Quinta regula. Ad hoc quòd hyppothetica primi ordinis ſit vera, requiritur quòd antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente, id eſt, ex antecedente vero ſequatur neceſſariò etiam conſequens eſſe verum. Et hoc eſt quod alij dicunt: vt poſito antecedente, ſtatim ponatur conſequens. Alij verò: vt oppoſitum conſequentis repugnet, nec ſtare poſſit cum antecedente. *Exemplum.* Si Petrus currit, Petrus mouetur. Hic antecedens, ſcilicet *Petrus currit* nullo modo poteſt eſſe verum, niſi etiam conſequens ſit verum, videlicet *Petrus mouetur;* & poſito quòd Petrus currat, neceſſariò ponitur Petrum moueri. Adhuc: oppoſitum conſequentis, videlicet *Petrus non mouetur,* repugnat antecedenti, videlicet *Petrus currit.*

Hoc idem intellige etiam in hyppotheticis veris, quamuis antecedens ſit falſum & conſequens. Vnde facilè intelliges, quid ad falſitatem requiratur. Nam ad falſitatẽ hyppotheticæ primi ordinis requiritur, vt antecedens poſſit eſſe verum abſq; conſequente. *Exemplum.* Si Petrus eſt homo: Petrus eſt Rex. Vbi vides, quòd antecedens poteſt eſſe abſque conſequente. Nam commodè poteſt Petrus eſſe homo, abſq; eo quod ſequatur ipſum eſſe regem. Et oppoſitum conſequentis, videlicet: *Petrus non eſt Rex,* poteſt eſſe cum ipſo antecedente, videlicet *Petrus eſt homo.*

Sexta regula. Ad veritatem copulatiuæ exigitur quòd vtraq; pars ſit vera: vt, Magiſter docet, & diſcipulus diſcit: debet tam prima propoſitio cathegorica, quàm ſecunda (quæ componunt vnam hypotheticam)

potheticam) esse vera. Ad falsitatem autem sufficit vna pars falsa: vt, Magister docet, & rusticus intelligit. vbi vides, propter secundam partem huius copulatiuæ, totam esse falsam.

Septima. Ad veritatem disiunctiuæ sufficit quòd vna pars tantùm sit vera: vt, *Magister est clarus*: aut, *Discipulus est ingeniosus.* Hîc satis est vnam partem esse veram ad hoc, quòd tota disiunctiua dicatur vera. Ad falsitatem autem exigitur, vt pars vtraque sit falsa.

Octaua regula. Duo sunt modi argumentandi ex hypotheticis primi ordinis.

I. A positione antecedentis ad positionem consequentis. Exempli causa sit ista conditionalis: *Si dies est, sol ortus est*; sed ponitur antecedens, quia reuera dies est. Ergò debet poni consequens, scilicet quòd sol iam ortus est.

II. Arguitur à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, vt in hac conditionali: *Si homo habet alas: homo potest volare.* Consequens est destruendum tanquam falsum, videlicet, quòd homo possit volare; ergo antecedens est falsissimum, quòd homo habeat alas.

De Modali propositione.

De qua tria: Definitio, Diuisio, & Proprietas.

I. *Definitio est ista.* Modalis propositio est, quæ ad cathegoricam adiūgit aliquem modum ex istis quatuor: Necessarium, Impossibile, Contingens, Possibile: vt, *Petrus currit contingenter.* Vbi manifestum est

præter cathegoricam, *Petrus currit*: poni modum, videlicet, *contingenter.*

DECLARATIO.

Sciēdum in primis est, cathegoricam simplicem esse fundamentum modalis propositionis. Vnde etiam ipsa cathegorica sumpta sine modo, id est, ante aduentum modi, dicitur præiacens.

Secundò sciendū est, quòd modus multiplex potest esse. Nam vel est ex parte subiecti: vt, Iustus rex regnat. Vel ex parte prædicati: vt, Rex regnat fœliciter. Vel ex parte compositionis seu coniunctionis prædicati cum subiecto: vt, Rex iudicat necessariò. Nam iste modus necessariò determinat & ostendit, quomodo conueniat iudicare Regi.

Tales autem modi ex parte compositionis quamuis sint sex: Necessarium, Impossibile, Contingēs, Possibile, Verum & Falsum: tamen quia postremi duo modi, videlicet verum & falsum, nihil noui addunt supra suas cathegoricas præiacentes; ideò coincidunt cum eis: id est, per omnia significant sicut & propositiones cathegoricæ simplices. Idem enim est dictu: Petrus sedet, & Petrus sedet verè. Similiter, Homo non est asinus, &, homo est asinus falsè. Sed & oppositiones & æquipollētiæ in eis sunt eodem modo quo in simplicibus. Propterea remanebunt quatuor illi modi enumerati in definitione, qui tantùm constituunt propositiones modales.

Nota tertio.

Quamuis possibile & contingens pro eodem interdum sumantur; tamen propriè loquendo, possibile est

bile eſt illud, quod non eſt, poteſt tamen eſſe. Contingens autem eſt illud, quod eſt, & poteſt non eſſe.

Diuiſiones ſunt ſex.

Prima, penes modi formationem.
Secunda, penes modi locationem.
Tertia, penes ſignificationem, ſeu verificationem.
Quarta, penes quantitatem.
Quinta, penes qualitatem.
Sexta, penes ſufficientem enumerationem.

Prima hæc eſt. Enuntiatio modalis quædã formatur per modum ſumptum aduerbialiter: vt, Petrus currit contingenter. Petrus eſt homo neceſſariò. Petrus eſt aſinus impoſſibiliter. Quædam formatur per modum nominaliter, mutata oratione indicatiua in infinitiuam: vt, Petrum currere eſt contingens. Petrum eſſe hominem eſt neceſſarium. Petrum eſſe aſinum eſt impoſſibile.

Hic ſcito, quòd modalis propoſitio conuenientiùs & magis propriè formatur hoc ſecundo modo: videlicet, per modum nominaliter ſumptum.

Scito ſecundò, quòd in hac propoſitione modali, in qua modus nominaliter formatur, ſubiectum eſt tota oratio infinitiua: videlicet, Petrum currere. Prædicatum verò eſt modus: ſcilicet, poſſibile.

Scito tertiò, quòd illa tota infinitiua oratio ſolet hîc appellari dictum, quia propter principalem prædicationem, quæ prouenit ex modo in modali propoſitione, in hac quoque infinitiua oratione prædicatio quædam includitur.

Secunda

Secunda diuiſio penes modi collocationem.

Propoſitio modalis quædã habet modum in principio: vt, Contingens eſt Petrum currere. Quædam in fine: vt, Petrum currere eſt cõtingens. Quædam inter partes dicti: vt, Petrum cõtingens eſt currere.

Itaque quando modus in principio locatur, non videtur eſſe aliquibus propoſitio modalis propria, neque prædicatio directa. Et quamuis Ariſtoteles ſemper modum in principio modalis propoſitionis ponat, hoc tamen facit propter oppoſitionem earum, quæ oppoſitio citiùs apparet ſi modus præcedat, penes cuius affirmationem aut negationem attenditur oppoſitio. Sed quando modus ponitur in fine, tunc appellatur modalis de dicto, quia prædicatur de toto dicto. Quando verò modus ponitur inter partes dicti, videlicet inter ſubiectum & prædicatum dicti, etiam tunc eſt verè modalis, & deſeruit explicationi in ſenſu diuiſo, appellaturque modalis de re: quod meliùs in ſequenti diuiſione intelligetur.

Tertia Diuiſio penes ſignificationem.

Inuenitur enim aliqua modalis, cuius dictum eſt de oppoſitis formis, id eſt, in qua ſubiectum & prædicatum dicti continent oppoſitas formas: vt, Dulce eſſe amarum, eſt poſſibile. Prędicatum huius modalis, eſt impoſſibile; ſubiectum verò modalis, eſt tota oratio infinitiua, quæ & dictum appellatur; videlicet totum hoc: Dulce eſſe amarum.

Hoc autem dictum habet etiam ſuum ſpeciale ſubiectum, videlicet Dulce; habet etiam prædicatũ ſuum,

ſuum, ſcilicet amarum. Hic iam videmus, quòd huius dicti ſubiectum & prædicatum ſunt de formis oppoſitis: nam dulcedo & amaritudo opponuntur. Has itaque modales de oppoſitis formis ſic ſolemus diſtinguere: quòd quædam ſunt in ſenſu compoſito explicādę, quædam verò in ſenſu diuiſo; & quòd in ſenſu compoſito, ſemper ſunt falſæ; in ſenſu diuiſo, veræ.

Tunc autem modalis accipitur in ſenſu compoſito, quando prædicatum dicti componitur & cum re poſita in ſubiecto, & cum forma eiuſdem ſubiecti. *Exemplum.* Videntem eſſe cœcum, eſt poſſibile. Hic, ſi cōponatur prædicatum dicti: videlicet, cœcitas; & cum re, ſcilicet homine qui habet viſum; & cum forma, ſcilicet viſu, eſt falſa propoſitio: nam ſenſus eſt, quòd poſſibile ſit hominem ſimul & habere viſum, & eſſe cœcum. In ſenſu verò diuiſo accipitur, quando prædicatum dicti attribuitur tantùm rei quę ſubintelligitur in ſubiecto dicti, & non refertur ad formam oppoſitam. *Exemplum.* Sanum eſſe ægrum, eſt poſſibile: in ſenſu diuiſo ſic explicatur. Petrus qui modò eſt ſanus, poteſt eſſe æger amiſſa ſanitate: & hoc modo eſt vera. Nam ægritudo, quæ eſt forma prædicati in dicto, refertur tantùm ad rem quæ ſubauditur in ſubiecto, & non cōiungitur cum forma oppoſita.

Sciendum itaq; eſt, quòd quando modalis intelligenda eſt in ſenſu compoſito, tunc modus poteſt poni ſiue in principio ſiue in fine; ſed quando explicanda eſt in ſenſu diuiſo, modus debet mediare inter partes dicti, hoc modo: Vidētem poſſibile eſt eſſe cœ-

cum. Vbi ſtatim poſt ſubiectū dicti ante modum, ſiſtendum eſt, tàm in ſcriptura per comma, quàm in prolatione per modicā interpollationem.

Hic intelligetur id quod dictum eſt in præcedente diuiſione: quòd quando modus in medio ponitur, vocatur modalis de re. Nam tunc innuit prædicatum dicti reſpicere tantùm rem cum qua coniungitur, & non reſpicere formam eius ſibi oppoſitam, cum qua ſimul ſtare non poteſt. Sicut & illa quæ de ſenſu compoſito eſt, dici ſolet de dicto.

Quarta diuiſio penes quantitatem.

Enuntiationum modalium, alia vniuerſalis, alia particularis. Sed iudicatur vniuerſalis non ex ſigno, ſicut pr opoſitiones cathegoricæ de ſimplici inhærentia, ſed ex modo. Ita quòd neceſſarium ſignificat vniuerſalem affirmatiuam, correſpondetque ſigno *Omnis*. Et meritò. Nam neceſſarium ponit omne tempus. Quod enim eſt tale neceſſariò, ſemper eſt tale: vt, quia homo neceſſariò eſt rationalis, ideo ſemper eſt rationalis.

Impoſſibile, ſignificat vniuerſalē negatiuam, correſpondetque ſigno *Nullus*. Et meritò; quia *impoſſibile* tollit omne tempus: vt, quia impoſſibile eſt hominem eſſe aſinum, ideò homo nunquam eſt aſinus.

Cōtingens & poſſibile correſpondent ſigno *quidam*. Et meritò; quia iſti duo modi, non omne ſed aliquod tempus ponunt. *Indefinita verò & ſingularis in modalibus non inueniuntur.*

Quinta diuiſio penes qualitatem.

Modalium: quædā affirmatiua quędam negatiua.

Quamuis

Quamuis negatiua tribus modis fieri poßit, vt ſtatim patebit.

Sexta diuiſio penes ſufficiẽtem enumerationem.

Propoſitiones modales in ſumma ſunt ſedecem. Nam cùm quatuor ſint modi, & quilibet modus cõſtituat quatuor propoſitiones: quater quatuor, faciunt ſedecem.

Iſtæ autem ſunt quatuor propoſitiones, quas quilibet modus facit. *Prima* eſt tota affirmatiua, id eſt, & de dicto & de modo: vt, Cœlum moueri eſt neceſſarium. *Secunda* negatiua de dicto tantùm: vt, Cœlum non moueri eſt neceſſarium. *Tertia* negatiua de modo tantùm: vt, Cælum moueri non eſt neceſſarium. *Quarta* tota negatiua, id eſt de dicto & de modo: vt, Cœlum nõ moueri, non eſt neceſſarium.

Vtuntur autem Logici quatuor vocalibus, A, E, I, V, ad deſignandum has quatuor propoſitiones vniuſcuiuſq; modi. Nam A, ſignificat totam affirmatiuam. E negatiuam de dicto tantùm. I, negatiuam de modo tantùm. V, totam negatiuam. Vnde verſus.

Nil negat a: negat e dict: iq; modum: ſed u totum.

Proprietates modalium ſunt tres.

Æquipollentia, Conſequentia, & Oppoſitio.

Quæ vt faciliùs intelligantur, & ſemper in promptu habeantur, erigenda eſt aliqua figura, in qua nobis clariùs omnes hæ proprietates ſimul conſtent.

Pro erectione itaque figuræ, ſeptem ſunt præmittenda.

Primò. Quòd Logici illas omnes ſedecem modales propoſitiones redigũt in quatuor claſſes ſeu ordines.

Secundò. Quilibet ordo continet quatuor propoſitiones iuxta numerum modorum.

Tertiò. Quemcunque ordinem ſumpſeris, in ipſo omnes quatuor propoſitiones eundem ſenſum habent, ac proinde ſibi correſpondent & æquipollent.

Quartò. In quolibet ordine, ſic modales ſecundum noſtram doctrinam diſponuntur, vt ſemper ſit prima modalis de neceſſario, quia neceſſarium eſt modus nobilior. Secunda, de impoſſibili. Tertia, de contingenti. Quarta, de poſſibili.

Quintò. Ad deſignandum has quatuor claſſes vel ordines, nouiter inuenimus valde aptas quatuor dictiones triſyllabas: ſcilicet, *Habebunt, Beati, Nuptias, virtute*. Semper itaque prima ſyllaba cum ſua vocali deſeruiet neceſſario, ſecũda impoſſibili, tertia contingenti & poſſibili.

Nõ enim viſum eſt nobis, ſpecialem ſyllabam donare poſſibili, cùm de poſſibili & contingenti ſemper idem ſit iudicium. Vnde in antiqua figura per eaſdem vocales ſignificantur.

Sextò. Vt autem ſciamus quales Propoſitiones in ſuis locis ſint formandæ, obſeruabimus vocales ſyllabarum.

Septimò. Itaque in primo ordine, primo loco ponitur tota affirmatiua de neceſſario, & ſub ipſa cæterorum modorum propoſitiones ſecũdum loca ſua, & ſecundum exigentiam vocalium: quæ omnes ſibi correſpondent, & idem ſignificant.

In ſecundo ordine, ponitur modalis de neceſſario negatiua de dicto tantùm, & ſub ipſa cæteræ modales quæ eundem ſenſum faciunt.


In tertio,

In tertio, ponitur tota negatiua de necessario, & sub ipsa aliæ modales, quæ sibi æquipollent iuxta exigentiam vocalium.

Et quamuis in hoc tertio ordine iusta ratione deberet poni negatiua de modo tantùm; tamen in gratiam oppositionis modalium propositionum mutatur iste ordo.

In quarta classe, ponitur modalis de necessario negatiua de modo tātùm, & similiter cæteræ sub ipsa.

Erigitur iuxta hanc doctrinam figura.



His præmissis facilè est intelligere æquipollētias. Nam omnes quatuor propositiones de eodem ordine sibi æquipollent: hoc est, in sensu idem significant. Et cōsequentia valet ab vna ad alteram: vt, Religiosum orare est necessarium. Ergo Religiosum non orare est impossibile. &c.

Similiter oppositiones sunt quatuor,

Contraria, inter habebunt & beati.

Subcontraria, inter nuptias & virtute.

Subalterna, inter habebunt & nuptias. Similiter, inter beati & virtute.

Contradictoria, inter habebunt & virtute. Similiter, inter beati & nuptias. *Omnes oppositiones disponuntur ad instar illius figuræ, quæ est facta de propositionibus simplicibus.*

Hic nota, quòd in modalibus particularis negatiua est illa, quæ est de possibili vel cōntingenti cum negatione ad dictum tantùm, quæ breuiter solet dici, *possibile non, contingens non.*

Ex hac autē doctrina & figura noua facilè est intelligere etiam illam consuetam figuram antiquam, duobus obseruatis.

Primò. Quòd figuræ antiquæ dictiones sunt quadrisyllabæ: nam specialis syllaba numerabatur pro possibili; quamuis vocalis eadem esset, & in syllaba deseruiente contingenti, & in syllaba deseruiente possibili.


Secundò. Quòd in illa figura antiqua primus locus semper dabatur possibili in omnibus quatuor ordinibus: secundus contingenti: tertius impossibili: vltimus necessario.

Dictiones autem quatuor istæ sunt: Purpurea, Illiace, Amabimus, Edentuli.

Et iuxta illas quatuor dictiones statuitur etiam figura antiqua.

Pur Cœlum non moueri nō ē poſſibile.
pu Cœlū non moueri nō eſt contingens.
re Cœlum moueri eſt impoſſibile.
a Cœlum moueri eſt neceſſarium.

I Cœlum moueri non eſt poſſibile.
li Cœlum moueri nō eſt contingens.
a Cœlum moueri eſt impoſſibile.
ce Cœlum non moueri eſt neceſſarium.



A Cœlum moueri eſt poſſibile.
ma Cœlum moueri eſt contingens.
bi Cœlum moueri nō eſt impoſſibile.
mus Cœlū nō moueri non eſt neceſſariū.

E Cœlum non moueri eſt poſſibile.
den Cœlum non moueri eſt neceſſariū.
tu Cœlum nō moueri non eſt impoſſib.
li Cœlum moueri nō eſt neceſſarium.

LIBER

LIBER QVARTVS.

De Syllogiſmo formali, id eſt, de Syllogiſmorum formatione.

Nam in hoc libro non habetur ratio materiæ; ſcilicet, an veræ vel falſæ ſint propoſitiones: ſed tantummodo curatur, vt ſyllogiſmus ſit in debita forma. Et correſpondet hic liber Priorum Ariſtotelis libris.

Hîc quinque fiunt.

Primò. Definitur ſyllogiſmus.
Secundò. Diuiditur in partes, ex quibus componitur.
Tertiò. Agitur de forma ſyllogiſmi.
Quartò. De principijs regulatiuis ſyllogiſmorum.
Quintò. Propter ingenij exercitationem, traditur ars inueniendi medium.

Definitio eſt hæc.

Syllogiſmus eſt oratio quædam, in qua poſitis duabus Enuntiationibus, neceſſariò ſequitur tertia. *Exemplum*. Omnis vnctus eſt honorandus. Omnis ſacerdos eſt vnctus. Ergo. Omnis ſacerdos eſt honorandus. Hic manifeſtum eſt, quòd qui cōcedit duas priores Enuntiationes, neceſſariò & quaſi pondere quodam trahitur, ad concedendum tertiam, quæ ex illis duabus ſequitur.

Partes Syllogiſmi ſunt duplices.

Proximæ & Remotæ.

Proxi-

Proximę ſunt illæ, ex quibus immediatè componitur ſyllogiſmus: quę ſunt tres Enuntiationes; prima vocatur Maior, ſecunda Minor, tertia Concluſio. Tàm maior quàm minor appellantur communiter præmiſſę, eò, quòd præmittantur concluſioni.

Scias autem Neotericos multos, maiorem appellare propoſitum ſeu propoſitionem. Minorem verò, aſſumptum ſeu aſſumptionem.

Exemplum.

In ſyllogiſmo poſt definitionem poſito, maior propoſitio eſt hæc: *Omnis vnctus eſt honorandus.* Minor verò: *Omnis ſacerdos eſt vnctus.* Concluſio: *Omnis ſacerdos eſt honorandus.*

Partes Remotæ, ſunt termini, ex quibus enuntiationes ſyllogiſmi componuntur.

Iſti autem termini ſunt tres. Maior extremitas, (à recentioribus dicitur maius extremum) Minor extremitas (ſeu minus extremum) & Medium.

Medium eſt, quod in concluſione nunquam ponitur, ſed ante concluſionem bis: nam in vtraq; præmiſſa, videlicet, maiori & minori: vt in ſyllogiſmo iam poſito, *vnctus*, eſt medium: ponitur enim & in maiori & in minori: in concluſione verò non inuenitur.

Maior extremitas eſt ille terminus, qui in maiori propoſitione cum medio ponitur, in concluſione verò prædicatur: vt in illo ſyllogiſmo maior extremitas eſt, *honorandus.*

Minor extremitas eſt ille terminus, qui ponitur in minori propoſitione cum medio, & in concluſione eſt ſubiectũ: vt hic minor extremitas eſt, *Sacerdos.*

Forma Syllogiſmi eſt duplex.

Remota & Proxima.

Remota, eſt Figura. *Proxima*, eſt Modus.

Figura, eſt certa quædam diſpoſitio trium illorum terminorum in præmiſſis, ſecundum ſubiectionem & prædicationem: quod meliùs intelligetur in diuiſione figuræ.

Modus, eſt obſeruatio certæ cuiuſdam quantitatis & qualitatis in tribus Enuntiationibus ſyllogiſmi. Et hoc paulò poſt meliùs intelligetur.

Diuiſio.

Figuræ ſunt tres: Prima, Secunda, Tertia.

Quia medium penes quod attenditur diuiſio figuræ, tripliciter poteſt variari.

In prima medium ponitur pro ſubiecto in maiori propoſitione: in minori verò ponitur pro prædicato: vt patuit in exemplo ſuperiùs allato, in quo medium erat *vnctus*, & in maiori ponebatur pro ſubiecto, in minori pro prædicato.

Secunda figura exigit, vt medium tàm in maiori quàm in minori, ponatur pro prædicato, vt inferiùs patebit.

Tertia figura requirit, vt medium in vtraque præmiſſa ſit ſubiectum. Vnde verſus.

Prima, prius ſubiicit medium, poſt prædicat ipſum.
Prædicat altera bis: tertia bis ſubiicit.

Regulæ generales quatuor, deſeruientes omnibus tribus figuris.

Prima regula. In omni figura ex puris particularibus nihil

bus nihil ſequitur. Hoc eſt, nunquam vtraque præmiſſa poteſt eſſe particularis, indefinita, aut ſingularis; nam nihil certi concluderet: ſed debet eſſe aut vtraq; vniuerſalis, aut ad minus vna.

Secunda regula. Ex puris negatiuis nihil vnquam ſequitur: hoc eſt, vt ſyllogiſmus efficaciter poſſit inferre concluſionem, debet eſſe, ſi non vtraque, ſaltem vna præmiſſarum affirmatiua.

Tertia. Si aliqua præmiſſarum fuerit particularis, etiam concluſio erit particularis.

Quarta. Si aliqua ex præmiſſis fuerit negatiua, etiam concluſio erit negatiua.

Et ratio harum duarum vltimæ & penultimæ regularum eſt hæc. Quoniam concluſio ſequitur deteriorem partem, ſeu præmiſſam.

Regulæ ſpeciales primæ figuræ tres.

Prima. In prima figura maior ſemper debet eſſe vniuerſalis. Et hoc eſt quod alij dicunt, in prima figura maior eſt ligata in quantitate, & libera in qualitate. In quantitate, inquam, eſt ligata; quia ſemper eſt vniuerſalis: in qualitate ſoluta; quia poteſt eſſe affirmatiua & negatiua.

Secũda regula. In prima figura minor ſemper debet eſſe affirmatiua; & vt alijs verbis vtamur, eſt ligata in qualitate, & libera in quantitate: videlicet, alligata eſt affirmationi; quia nunquã poteſt eſſe negatiua, ſed poteſt eſſe tàm vniuerſalis quàm particularis.

Tertia. In prima figura concluſio eſt omnifariam libera; nam poteſt eſſe & vniuerſalis & particularis, & affirmatiua & negatiua. Vnde verſus.

Omne

Omne genus problematis infert, prima figura.

Primæ figuræ modi perfecti & quaſi connaturales quatuor. Qui vt citiùs intelligantur, & firmiùs memoria teneantur, Logici adinuenerunt quatuor dictiones triſyllabas, quibus deſignant hos quatuor modos.

Iſtæ autem quatuor dictiones ſunt: *Barbara, Celarent, Darij, Ferio.*

In quibus obſeruandæ ſunt diligenter vocales ſyllabarum. Nam primæ ſyllabæ vocalis, inſinuat quantitatem & qualitatem maioris propoſitionis. Secundæ ſyllabæ vocalis, ſimiliter ſignificat quantitatem, & qualitatem, minoris propoſitionis. Tertiæ autem ſyllabæ vocalis, eodem modo innuit, qualis ac quanta debeat eſſe concluſio.

Sequuntur Exempla.

Bar	Omnis coronatus eſt rex.
ba	Omnis beatus eſt coronatus. Ergò
ra.	Omnis beatus eſt rex.
Ce	Nullus blaſphemus ſaluatur.
la	Omnis Arianus eſt blaſphemus. Ergò
rent.	Nullus Arianus ſaluatur.
Da	Omnis religioſus debet tendere ad perfectionem.
ri	Petrus eſt religioſus. Ergò
i.	Petrus debet tendere ad perfectionem.
Fe	Nullus vſurarius ſaluatur.
ri	Quidam Chriſtianus eſt vſurarius. Ergò
o.	Quidam Chriſtianus non ſaluatur.

Vt autem nouitij citiùs addiſcant ſyllogiſmorum

forma-

formationem, in primis sibi debent statuere aliquã propositionem, qua vtantur pro conclusione, & deinde debet subijcere aliquam causam seu rationem illius conclusionis: hoc modò.

Bar ba ra. Omnis homo est risibilis:
quia est rationalis.

Hic præmittitur conclusioni signum vniuersale, scilicet *Omnis*; quia vocalis *a*, admonet vt fiat conclusio vniuersalis affirmatiua. Ratio posita sub conclusione, scilicet *rationalis*, erit medium syllogismi formandi; ideò in maiori erit subiectum, in minori prædicatum.

Prædicatum conclusionis, scilicet *risibilis*, est maior extremitas; & ideò ponetur in maiori propositione, cum medio hoc modo.

Omne rationale est risibile.

Subiectum conclusionis, scilicet, *Homo*, est minor extremitas; & propterea ponetur in minori propositione cum medio: hoc modo.

Omnis homo est rationalis.

Integer itaq; syllogismus erit talis.

Bar Omne rationale est risibile.
ba Omnis homo est rationalis. Ergo
ra. Omnis homo est risibilis.

Quo syllogismo facto, non est ampliùs necesse subscribere, rationem conclusionis.

Submonitio.

Vt meliùs tyrũculi syllogismorum formationem addiscant, sciant oportet, quòd syllogismum conficere,

ficere, initium sumendo etiam à maiori propositione, non est difficile, si medium in minori propositione repetendum diligenter obseruetur. Nam in prima figura, oblata quacunq; propositione, statim pro minori accipiam nouum aliquem terminum, dummodo sit ad propositum, & faciam illum subiectum in minori propositione, repetamque subiectum illius oblatæ propositionis, quod in minori faciam prædicatum.

Vt si quis proposuerit hanc Enuntiationem: *Omne animal est sensibile*: ego continuabo & perficiam syllogismum accepto nouo termino, videlicet *boue*, & repetito subiecto prioris propositionis, collocatoque eo hic pro prædicato hoc modo, videlicet, *Bos est animal. Ergò Bos est sensibilis.*

ADMONITIO.

Ista prima figura, cum suis quatuor modis vsitatioribus & directè concludentibus, summa cura addiscenda est, & frequenti exercitio ac diligenti repetitione iteranda, atque in promptu semper habenda. Nam in omni argumentatione, probatione, & disputatione, hac vt plurimùm vtimur, quasi ipsa natura eam suggerente. Cæterarum autem figurarum syllogismi quamuis vtiles sint, in vsu tamen rariores sunt.

Præter autem istos quatuor modos principales perfectos & directè concludentes primę figuræ, inueniuntur etiam alij quinque modi eiusdem primę figuræ, qui vocantur indirectè concludentes, quamuis sint minùs vtiles.

Est autem differentia inter hos quinq; & illos quatuor: quòd hi postremi quinq; nõ seruent illas regulas speciales. Deinde quòd in cõclusione minorem extre-

extremitatem pro prædicato ponant, & maiorem pro subiecto: & propterea dicuntur indirectè seu inuerso ordine concludere.

Hi porrò quinq; modi designantur quinq; dictionibus: *Baralip, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Frismeso.*

Vt autem isti modi primæ figuræ, tàm directè quàm indirectè concludentes, citiùs memoria retineantur, duo versiculi sunt facti.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipq́;.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frismeso, fiunt.

Ba Omnis coronatus est rex.
ra Omnis beatus est coronatus. Ergò
lip. Quidam rex est beatus.

Vbi vides minorem extremitatem, videlicet *beatus*, poni pro prædicato in conclusione: & maiorem extremitatem, scilicet *rex*, pro subiecto, quod non est directè cõcludere. Directè enim cõcludere est, tunc quando maior extremitas prædicatur de minori.

Ce Nullus blasphemus saluatur.
lan Omnis Arianus est blasphemus. Ergò
tes. Nullum quod saluatur est Arianus.

Da Omnis religiosus contemnit mundum.
bi Bernardus est religiosus. Ergò
tis. Quoddam contemnens mundum est Bernardus.

Fa Omnis vincens coronatur.
pe Nullus peccans est vincens. Ergò
smo. Quoddam quod coronatur, non est peccans.

Fris Quidam studiosus proficit in literis.
me Nullus rusticus est studiosus. Ergò
so. Quoddam proficiens in literis non est rusticus.

De secunda

De secunda Figura.

In secunda figura medium prædicatur in vtraque præmissarum, videlicet, in maiori & minori.

Leges speciales secundæ figuræ sunt quatuor.

Prima. Maior in secunda figura semper debet esse vniuersalis. In hac autem regula conuenit cum pima figura.

Secunda. Minor omnifariam est libera: potest esse vniuersalis & particularis, affirmatiua & negatiua.

Tertia. Conclusio in secunda figura, semper est negatiua.

Quarta. Ex puris affirmatiuis in secunda figura nihil sequitur, hoc est, si tàm maior quàm minor essent affirmatiuæ propositiones, & propter dispositionem medij pro prædicato in vtraq; videretur esse syllogismus in secunda figura: tunc inualidè concluderet; id est, nullius roboris esset syllogismus: vt, *Omnis asinus est animal. Homo est animal. Ergò Homo est asinus.* Et ratio huius est. Nam in secunda figura cõclusio debet esse negatiua, vnde exigit vt altera præmissarum sit negatiua: quia conclusio debiliorem partem sequitur.

Modi secundæ figuræ sunt quatuor, designati his quatuor dictionibus.

Cesare, Camestres, Festino, Barocco.

Ce Nullus Angelus est corporeus.
sa Omnis homo est corporeus. Ergò
re. Nullus homo est Angelus.

Ca Omnis

Ca Omnis homo eſt intelligens.
meſ Nullum cœlum eſt intelligens. Ergò
tres. Nullum cœlum eſt homo.
Feſ Nullus iuſtus damnatur.
ti Quidam Chriſtianus damnatur. Ergò
no Quidam Chriſtianus non eſt iuſtus.
Ba Omnis qui facit voluntatem Dei, intrat in regnum cœlorum.
roc Quidam dicens domine, domine, non intrat in regnum cœlorum. Ergò
co. Quidam dicens domine, domine, non facit voluntatem Dei.

De tertia figura.

In qua medium ponitur pro ſubiecto tàm in maiori quàm in minori. Habetque præcepta ſeu regulas tres.

Prima. Maior eſt omnifariam libera.

Secunda. Minor ſemper eſt affirmatiua. Et in hac regula conuenit cum prima figura.

Tertia. Concluſio ſemper eſt particularis.

Modi ſunt ſex, totidem dictionibus deſignati.

Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

Vnde verſus duo, continentes omnes modos, tàm ſecundæ quàm tertiæ figuræ.

Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco, Darapti.
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

Da Omne cœlum mouetur.
rap Omne cœlum eſt incorruptibile. Ergò
ti. Quoddam incorruptibile mouetur.

Fe Nullus

Fe Nullus bos habet intellectum.
lap Omnis bos eſt viuens. Ergò
ton. Quoddam viuens non habet intellectum.
Di Quidam Chriſtianus eſt in Dei gratia.
ſa Omnis Chriſtianus eſt homo. Ergò
mis. Quidam homo eſt in Dei gratia.
Da Omnis caſtè viuens, eſt templum Spiritus ſancti.
ti Quidam caſtè viuens eſt adoleſcens. Ergò
ſi. Quidam adoleſcens eſt templum Spiritus S.
Bro Quidam Iudæus non eſt vſurarius.
car Omnis Iudęus eſt in ſtatu damnationis. Ergò
do. Quidam in ſtatu dãnationis non eſt vſurarius.
Fe Nullum malum eſt impunitum.
riſ Quoddam malum eſt detractio. Ergò
on. Quædam detractio non eſt impunita.

De principijs regulatiuis ſyllogiſmorum.

Ex his omnibus figuris & modis ſyllogiſmorum, ſcire oportet primæ figuræ quatuor modos eſſe perfectos. Syllogiſmos autem ſecundæ & tertiæ figuræ eſſe imperfectos, triplici de cauſa.

I. Ratione concluſionis. Nam prima figura concludit omnia genera Enuntiationum ; & vniuerſalem affirmatiuam, & vniuerſalem negatiuam : & particularem affirmatiuam & particularem negatiuam. Secunda verò figura tantùm negatiuam concludit, & nunquam affirmatiuam. Tertia autem tantùm particularem, & nunquam vniuerſalem.

II. Ratione medij. Quamuis medium in omnibus figuris, æqualiter det robur & firmitatem ſyllogiſmo,

gismo, tamen in sola prima figura medium, verè medium locum, seu situm habet; nam est inter minorem extremitatem, de qua prædicatur, & inter maiorem extremitatem, cui subijcitur.

III. Ratione illationis. Nam quamuis omnes tres figuræ necessariò concludant, seu inferant conclusionem; tamen hoc euidentiùs & clariùs patet in prima figura, quàm in alijs, cuius causa est. Quod prima figura regulatur per *dici de omni*, & *dici de nullo*. Secunda verò & tertia figura actu, seu immediatè, non diriguntur per *dici de omni*, & *dici de nullo*; sed tantùm potestate, & mediatè: videlicet, si priùs reducatur ad primam figuram, quod paulò post meliùs intelligetur.

Non tantùm autem secunda vel tertia figura est imperfecta, verumetiam quinque postremi modi primæ figuræ indirectè concludentes sunt imperfecti, vel hac sola ratione, quia indirectè cōcludunt, quamuis etiam nec leges primæ figuræ seruent.

Remanent itaque tantùm quatuor modi primæ figuræ, qui sunt perfecti, & syllogismos perfectos formant. Quanquā etiam in his dātur perfecti, videlicet, qui particularem concludunt: & datur perfectior modus, videlicet, qui vniuersalem negatiuam concludit: & datur perfectissimus, videlicet, primus modus, qui vniuersalem affirmatiuam concludit.

Sicut itaq; duplices sunt syllogismi: Perfecti (videlicet, primi quatuor modi primæ figuræ) & Imperfecti, scilicet, omnes cæteri syllogismi: ita duplex erit principiū regulatiuum immediatum. Primæ quidem figuræ, *dici de omni*, & *dici de nullo*. Imperfectorum autem antequam reducantur ad primam figuram, ipsa reductio erit immediatum principium directiuum.

Dici de omni,

Non significat propositionem vniuersalem affirmatiuam tantùm, sicut & *dici de nullo* non significat propositionem vniuersalem negatiuam tantùm, vt vulgus intelligit: nam omnium consensu principia ista *dici de omni*, & *dici de nullo*, soli primæ figurę deseruiunt, & non alijs: si autem per *dici de omni*, & *dici de nullo*, intelligeretur propositio vniuersalis affirmatiua & negatiua, falsum esset: cùm etiam in alijs figuris inueniantur propositiones vniuersales affirmatiuæ & negatiuæ,

Itaq; *dici de omni* significat, quòd quando aliquid vniuersaliter prędicatur de aliquo communi, prædicatur etiam de omni contento, sub ipso vniuersali.

Exemplum.

Non hæc propositio vniuersalis affirmatiua dicitur de omni: *Omnis homo est risibilis*: sed hoc totum dicitur de omni, quòd risibilitas in primis conuenit homini, deinde eadem risibilitas conuenit contentis sub homine, videlicet, Petro, Paulo, & alijs indiuiduis.

Dici de nullo, significat, quòd quando aliquid vniuersaliter negatur de aliquo, negatur etiam de quolibet contento sub ipso.

Exemplum.

Non hæc propositio dicitur de nullo: *Nullus homo est lapis*, sed hoc totum dicitur de nullo, quòd inprimis lapis

mis lapis negatur ab homine, deinde quòd idem lapis negatur ab omnibus contentis ſub homine.

Hinc nota quatuor appendices.

Prima. Syllogiſmum confirmari ſeu regulari per *dici de omni* & *dici de nullo*, nihil aliud eſt quàm verificari de eodem ſyllogiſmo hanc propoſitionem. Quidquid prędicatur de aliquo vniuerſaliter in maiori, prædicatur etiam de quolibet contento in concluſione, dummodo conſtet hoc ſub illo contineri. Quod in minori ſub ſumpta innoteſcit.

Exemplum.

Bar Omne rationale eſt animal.	*Ecce dici de omni, primo ex hoc quod prædicatur vniuerſaliter de rationali.*
ba Homo eſt rationalis.	*Hic explicatur hominem contineri ſub rationali.*
Ergò *ra* Homo eſt animal.	*Secundo ex hoc eſt de omni, quia animal prædicatur de contento ſub rationali.*

Secunda appendix. Hinc colligitur *dici de omni* & *dici de nullo*, eſſe quaſi quoſdam ſyllogiſmos integros naturales & implicitos, omnibus euidentiſſimos, eſſeq; naturales quaſdam radices omnium ſyllogiſmorum arte conſtructorum, ex quibus tanquam principijs & fundamentis artificioſi ſyllogiſmi originem ſumunt, robur ſeu efficaciam, euidentiam & confirmationem; ſiue immediatè, vt ſyllogiſmi primæ figuræ; ſiue mediatè, ſicut reliqui ſyllogiſmi poſtquàm reducti fuerint, ad primam figuram.

Tertia. Hinc cognoſci poteſt, quare iſta principia ſoli primæ figuræ conueniunt: Nam ſola prima figura

gura habet medium terminum, quod eſt poſitione medium inter maiorem extremitatē & minorem: dici autem de omni & de nullo, talem diſpoſitionem medij requirunt.

Quarta. Ex hac autem doctrina diſces rationem, quare in prima figura minor non poteſt eſſe negatiua: quia talis ſyllogiſmus non confirmaretur per *dici de omni*, & *dici de nullo*. Nam in minori oſtendendum eſt, quomodo minor extremitas contineatur ſub medio, quod oſtenditur, quando medium affirmatiuè prædicatur, de minori extremitate.

Imperfectorum ſyllogiſmorum principium regulatiuum eſt Reductio.

Reductio autem eſt, tranſmutatio imperfecti ſyllogiſmi in primæ figuræ ſyllogiſmum, per quam clariùs oſtenditur, quòd ex talibus præmiſſis neceſſariò ſequatur talis concluſio.

Quadrupliciter autem imperfectus ſyllogiſmus poteſt reduci ad perfectum. Per conuerſionem ſimplicem alicuius propoſitionis. Per cōuerſionem per accidens. Per mutationem præmiſſarum; ita vt ex maiori fiat minor, & ex minori maior. Et per deductionem ad impoſſibile, ſeu manifeſtum abſurdum aut falſum.

Vt autem ſciatur, quomodo quilibet imperfectus ſyllogiſmus reduci poſſit ad perfectum; In primis obſeruandæ ſunt primæ conſonantes omnium modorum, quæ tantùm quatuor ſunt. B, C, D, F. à quibus omnes modi tàm perfecti quàm imperfecti incipiunt.

Secundò

Secundò sciendum est, quod modi imperfecti omnes reducuntur ad primos quatuor modos primę figuræ: ita vt qui incipiunt à *B*, reducantur ad *Barbara.* qui incipiunt à C, reducantur ad *Celarent.* à D, ad *Darii.* à F, ad *Ferio.*

Tertiò sciendum, ad cognoscendum quo principio regulatiuo, seu qua specie reductionis syllogismus imperfectus transformandus sit in syllogimũ perfectum primæ figuræ, cõsiderandæ sunt diligenter aliæ quatuor consonantes, S, P, M, C, quæ quidem vel aliquæ ex his inueniuntur in modis imperfectis. Itaque S, designat conersionẽ simplicem illius propositionis quam vocalis præcedens significat.

Exemplum in primo modo secundæ figuræ, *Cesare.* Hîc prima syllaba Ce, maiori propositioni inseruit; *Sa,* minori; *Re,* conclusioni. Tamen si iste syllogismus est reducendus ad *Celarent*, maior deberet conuerti simpliciter: nam quamuis S, ponatur in secunda syllaba quæ minori propositioni donatur; quia tamen S, non significat conuersionem propositionis significatæ per vocalem sequentem, sed per vocalem antecedẽtem; ideò maior hîc conuertitur simpliciter, non minor.

P, designat conuersionem per accidens illius propositionis, quæ significatur similiter per vocalem præcedentem.

M, in quacunq; syllaba inueniatur, significat præmissarum mutationem, seu transpositionem.

C, Significat conductionem ad impossibile. iuxta versum.

S *Vult simpliciter verti,* P *verò per acci.*
M *Vult transponi,* C *per impoßibile duci.*

Quar-

Quartò sciendum. Si quando admonemur, vt propositiones & conuertamus & mutemus: tunc priùs propositiones sunt conuertendæ, & postea iam conuersæ, sunt transponendæ.

Quintò sciendum. Quòd propositiones syllogismi, quæ non habent post suas vocales aliquam ex illis consonantibus, sunt in sua integritate & immutabilitate conseruandæ.

Exemplum.

Ba Omnis coronatus est rex.
ra Omnis beatus est coronatus. Ergò
lip. Quidam rex est beatus.

Et quoniam ex illis quatuor consonãtibus tantùm P inuenitur, quod sequitur vocalem conclusionis: ideò admonet, vt reducamus hunc syllogismum imperfectum ad *Barbara*, per solam conclusionis conuersionem per accidens: hoc modo.

Bar Omnis coronatus est rex.
ba Omnis beatus est coronatus. Ergò
ra. Omnis beatus est rex.

Aliud exemplum in secunda figura.

Ca. Omnis homo est intelligens.
mes Nullum cœlum est intelligens. Ergò
tres. Nullum cœlum est homo.

Iste syllogismus vt reducatur ad *Celarent*, indiget in primis cõuersione simplici minoris propositionis: nam vocalem minoris sequitur S. secundò requirit mutationem præmissarum: tertiò, exigit conclusionis conuersionem simplicem: hoc modo.

Ce Nullum intelligens est cœlum.

la Omnis

la Omnis homo est intelligens. Ergò
rent. Nullus homo est cœlum.

Tertium exemplum in tertia figura.

Da Omne cœlum mouetur.
rap Omne cœlum est incorruptibile. Ergò
ti. Quoddam incorruptibile mouetur.

Hic syllogismus facilè potest transformari, vt sit in prima figura in *Darii.* Nam sola conuersioné per accidens minoris propositionis, quod significat P, sequens vocalem minoris: hoc modo.

Da Omne cœlum mouetur.
ri Quoddam incorruptibile est cœlum. Ergò
i. Quoddam incorruptibile mouetur.

Quartum exemplum.

Di Quidam Christianus est in Dei gratia.
sa Omnis Christianus est homo. Ergò
mis. Quidam homo est in Dei gratia.

Ex hoc syllogismo tertiæ figuræ facilè possumus efficere primum, & collocare ipsum in *Darii.* In primis conuersa maiore simpliciter; hoc enim insinuat S, sequens vocalem maioris S. Deinde transpositis prẹmissis; hoc enim innuit M, quod reperitur in hac dictione. Et deinde conuersa conclusione simpliciter; hoc enim monet S, sequens vocalem conclusionis: hoc modo.

Da Omnis Christianus est homo.
ri Quidam existens in Dei gratia est Christianus. Ergò
i. Quidam existens in Dei gratia est homo.

Reductio

Reductio verò per ductionem ad impossibile duobus reseruatur: videlicet, *Barocco* in secunda figura, & *Brocardo* in tertia. Tunc autem hac arte, videlicet, ductione ad impossibile vtimur, quando aduersarius concederet ambas præmissas, sed negaret conclusionem esse veram, & eam posse colligi ex præmissis. Nam tunc reducendus est syllogismus imperfectus ad *Barbara* per impossibile, hoc ordine. Si ista conclusio non est vera, nec sequitur ex præmissis, ergò necessario fateri debes contradictoriam conclusionis esse veram. Deinde hanc eandem contradictoriam conclusionis accipio pro prẹmissa, & ex illa cum alia præmissa vniuersali infero oppositum alterius præmissæ, quod erit apertissimè impossibile, & contra eundem aduersarium, qui ambas præmissas admiserat.

Exemplum.

Ba Omne creatum est bonum.
roc Quoddam malum non est bonum. Ergò
co. Quoddam malum non est creatum.

Si aduersarius concedit maiorem & minorem, negat autem conclusionem, ergò debet concedere contradictoriam conclusionis: videlicet, *Omne malum est creatum.* Tunc reseruo mihi istam contradictoriam conclusionis, pro futuro syllogismo, quando reducam *Barocco* ad *Barbara.* Deinde volens conficere ex syllogismo in *Barocco*, syllogismum in *Barbara*, vniuersalem propositionem nunquam variabo, sed in suo loco semper relinquam. Et quoniam hîc maior propositio est vniuersalis, ibidem eam locabo: hoc modo.

 Bar Omne

Bar Omne creatum eſt bonum.
ba
ra.

Poſtea pro minori propoſitione ſumam illud oppoſitum concluſionis quod mihi reſeruaui, videlicet:

Bar
ba Omne malum eſt creatum.
ra.

Tandem pro concluſione ponam contradictoriam minoris, quæ neceſſariò ex præmiſſis ſequitur, videlicet. *Omne malum eſt bonum.* Integer itaque ſyllogiſmus iam ad primam figuram reductus erit iſte.

Bar Omne creatum eſt bonum.
ba Omne malum eſt creatum. Ergò
ra. Omne malum eſt bonum.

Tunc vlteriùs procedo, vt conuincam aduerſarium: hoc modo. Concluſio eſt manifeſtè falſa & impoſſibilis, & tamen neceſſariò & euidenter ſequitur ex præmiſſis, quia in prima figura: nec poteſt eſſe concluſio falſa, niſi etiam aliqua præmiſſarum ſit falſa. In iſto autem ſyllogiſmo maior non eſt falſa, quia eadem eſt hic maior quæ erat in *Barocco*, & à te conceſſa, ergò minor eſt falſa quę eſt cõtradictoria concluſionis. Signum itaque eſt, quòd illa prima concluſio particularis negatiua, videlicet: *Quoddam malum non eſt creatum,* erat vera.

Aliud exemplum in tertia figura.

Bro Quidam homo non eſt canis.
car Omnis homo eſt rationalis. Ergò
do. Quoddam rationale non eſt canis.

Si aduerſarius cõcederet præmiſſas, & negaret concluſionem

cluſionem eſſe veram, & ipſam ſequi ex præmiſſis; tunc neceſſarium eſt reducere hunc ſyllogiſmum ad primam figuram ad *Barbara*. Et quoniam hîc minor eſt vniuerſalis, propterea remanebit in ſuo loco: hoc modo.

Bar
ba Omnis homo eſt rationalis.
ra.

Deinde oppoſitum concluſionis, ponam in maiori propoſitione: hoc modo.

Bar Omne rationale eſt canis.
ba
ra.

De qua immutabilitate præmiſſarum, dantur etiam duo verſiculi.

Seruat maiorem, variatq́ſecunda minorem.

Qui verſiculus deſeruit ſecundæ figuræ, ſyllogiſmo in Barocco. Alter verò verſiculus deſeruit tertiæ figuræ in Brocardo, ſcilicet:

Tertia maiorem variat, ſeruatq́ minorem.

In concluſione autem ponetur oppoſitum maioris propoſitionis, videlicet: *Omnis homo eſt canis*: hoc modo.

Bar Omne rationale eſt canis.
ba Omnis homo eſt rationalis. Ergò
ra. Omnis homo eſt canis.

Cõcluſio manifeſtè impoſſibilis, & contra te. Nam eſt oppoſitum maioris conceſſæ à te in primo ſyllogiſmo; ergò altera præmiſſarum eſt falſa, non minor; quia eſt eadem, quæ fuit in primo ſyllogiſmo conceſſa à te: ergò maior quæ eſt contradictoria concluſi-

conclusionis. Ergò signum est, quòd illa prior conclusio particularis erat vera.

NOTA.

Etiam alii imperfecti syllogismi possent reduci per impossibile; sed quoniam possunt faciliori via reduci, videlicet per conuersionem propositionum, supradicti autem duo modi aliter reduci non possunt: propterea solis his duobus modis appropriatur talis reductio.

De Arte inueniendi medium.

Vt oblata quacunque enuntiatione, possimus aptum excogitare medium, nouem regulæ sunt necessariæ.

1. Deseruit primæ figuræ syllogismis affirmatiuis.

2. Deseruit primæ figuræ syllogismis negatiuis: id est, negatiuam conclusionem habentibus.

3. & 4. secundæ figuræ, quæ negatiuos tantùm syllogismos habet, cum hoc discrimine: quòd duo modi, videlicet primus & tertius, maiorem negatiuam habent; propterea de eis statuitur tertia regula: secundus verò & quartus maiorem affirmatiuam habent, propter quas datur quarta regula.

5. & 6. deseruiunt tertiæ figuræ. Et quoniam tertia figura particulares conclusiones habet, tum affirmatiuas, tum negatiuas; ideò quinta regula datur pro affirmatiuis, sexta verò pro negatiuis.

7. Regula, datur pro modis primæ figuræ, indirectè concludentibus affirmatiuè.

8. Pro modis primæ figuræ indirectè concludentibus negatiuè, maiore existente negatiua: vt est *Celantes* tantùm.

9. Regula,

9. Regula, datur pro modis indirectè concludentibus negatiuè, maiori existente affirmatiua: vt est *Fapesmo* & *Frismeso*.

Prima itaq; regula est ista. Ad probandam conclusionem affirmatiuam in prima figura, quærendum est medium, quod possit subijci prædicato conclusionis, & prædicari de subiecto eiusdem conclusionis. Cuius exempla vide in *Barbara* & *Darii*, vbi medium in maiori subijcitur prædicato conclusionis, & in minori prædicatur de subiecto conclusionis.

Secunda regula. Ad concludendum negatiuè in prima figura, excogitandum est medium, quod repugnet prædicato conclusionis, & prædicari possit de subiecto conclusionis. Huius exemplum vide in *Celarent* & *Ferio*.

Tertia. Ad probandam cõclusionem negatiuam in secunda figura, ita vt maior sit negatiua, accipiendum est medium sicut in secunda regula: videlicet, quod repugnet prædicato, & prædicari possit de subiecto. Vide exempla in *Cesare* & *Festino*: in quibus medium talem habitudinem habet ad terminos conclusionis.

Quarta. Ad colligendam cõclusionem negatiuam secundæ figuræ, maiori existente affirmatiua, inuestigandum est medium, quod possit prædicari de prædicato conclusionis, & repugnet subiecto conclusionis. Exempla vide in *Camestres* & *Barocco*.

Quinta. Ad concludendum in tertia figura affirmatiuè, inueniẽdum est medium, quod possit subijci & prędicato conclusionis, & subiecto eiusdem. Exemplum vide in *Darapti*, *Disamis*, & *Datisi*.

Sexta. Ad probandam conclusionem negatiuam in tertia figura, adinueniendum est medium, quod repugnet prædicato conclusionis, & subijci possit subiecto eius. Exempla vide in *Felapton, Brocardo,* & *Ferison,* vbi medium tales conditiones habet.

Septima. Ad inferendam conclusionem per modos primæ figuræ indirectè concludentes affirmatiuè, quærendum est medium, quod subijci possit subiecto conclusionis, & prædicari de prædicato conclusionis. Exempla vide in *Baralip* & *Dabitis.*

Octaua. Ad concludendum negatiuam in prima figura per modos indirectos, maiori existente negatiua, quærendum est medium, quod repugnet subiecto, & prædicari possit de prædicato conclusionis. Exemplum vide in *Celantes*, & aduerte subiectum conclusionis in maiori poni.

Nona. Ad probãdum in prima figura indirectam negatiuam, maiori existente affirmatiua, accipiendum est medium, quod possit subijci subiecto conclusionis, & repugnet prædicato eius. Exempla vide in *Fapesmo*, & *Frismeso.*

Vt autem omnes istæ varietates mediorum, per nouem regulas explicatæ, semper in promptu habeantur: adinuenit humana industria nouem voces, quæ has nouem regulas, & vtiles medij varietates continent: comprehenduntur que his duobus prioribus versibus.

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco.
Bageli, Hebaro, Fecani, Dafeno, bene constant.
Nunquam constabunt tria Febbas, Hedas, & Heccas.

Vt autem hæ voces intelligantur, sciendum est, quòd omnes nouem dictiones habẽt tres syllabas, & quælibet syllaba habet suam significationem. Nam vltima syllaba significat conclusionem probandam, secundum exigentiam vltimæ vocalis. Quatuor enim vocales ponuntur in fine harum dictionum. A, E, I, O, quę significant illa quatuor genera enuntiationum. Nimirum A, in vltima syllaba significat conclusionem vniuersalem affirmatiuam. E, vniuersalem negatiuam. I, Particularem affirmatiuam. O, Particularem negatiuam.

Secundò sciendum est. Quod in duabus primis syllabis tantum duæ sunt vocales, A & E: sed habent aliud iam hic officium. A, namque in prioribus duabus syllabis semper significat prædicatum conclusionis. E, verò subiectum eiusdem conclusionis probandæ.

Sciendum tertiò. Quòd A, habet suas consonantes tres, cum quibus coniungitur. videlicet, B, C, D. Et B, quidem significat medium tale esse quærendum, quod prædicetur de prædicato conclusionis. C, significat medium tale esse inueniendum, quod subijciatur prædicato conclusionis. D, tale medium esse inquirendum, quod repugnet prædicato conclusionis. Similiter E, habet suas tres consonantes, cum quibus coniungitur in eisdem primis duabus syllabis, F, G, H. F, significat medium tale esse inuestigandum, quod prędicetur de subiecto conclusionis. G, quod subijciatur. H, quod repugnet.

Duæ

Duæ tabellæ huius doctrinæ.

I.	A, prædicatum E, ſubiectum	Conclusionis ſignificat.		
II.	Mediũ	B C D prędicari: ſubijci: repugnare F G H	prędicato ſubiecto.	cõcl: ſig.

Sciendum quartò. Ariſtoteles, loco prædicari, vtitur hoc nomine, *conſequens.* loco ſubiici, dicit *antecedens.* loco repugnare, alii dicunt, *extraneum*, iuxta verſum.

Prædicat A, B ſequens, C prædicat, D ſit extra.
E ſubit, F ſequitur, G præcedit, H ſit extra.

Exempla huius doctrinæ.

Fecana, eſt prima dictio, vbi A in vltima ſyllaba poſitum, admonet concluſionem probandam, futuram vniuerſalem affirmatiuam. A, in penultima ſyllaba ſignificat prædicatum. C, verò poſitum iuxta A, ſignificat medium eſſe quærendum, quod poſſit ſubiici prædicato concluſionis. E, in prima ſyllaba ſignificat ſubiectum concluſionis. F, autem quod ponitur penes E, admonet vt curemus tale medium habere, quod poſſit prædicari de ſubiecto concluſionis.

Secundum exemplum in Cageti.

Hîc debet eſſe concluſio particularis affirmatiua, quod deſignat I finale: medium autem eſſe debet, quod ſit

quod ſit C, reſpectu prædicati concluſionis: hoc eſt, quod ſit ſubiectum reſpectu eius. Et præterea quod ſit G, reſpectu ſubiecti eiuſdem concluſionis, id eſt, quod ſimiliter poſſit ſubiici ſubiecto concluſionis, quod fit in tertia figura.

Primæ itaq; regulæ, deſeruit prima dictio *Fecana*, & octaua, ſcilicet *Fecani*: fitq; ſyllogiſmus in *Barbara* & *Darii.*

Secundæ regulę deſeruit tertia dictio, ſcilicet *Daſenes*, & nona, ſcilicet *Daſeno*: fitq; ſyllogiſmus in *Celarent* & *Ferio.*

Tertiæ regulæ deſeruit eadem dictio *Daſenes*: fitq; ſyllogiſmus in ſecunda figura, *Ceſare* & *Feſtino.*

Quartæ regulæ deſeruit quarta dictio *Hebare*, & ſeptima, ſcilicet *Hebaro*: fiq; ſyllogiſmus in ſecunda figura, in *Cameſtres* & *Barocco.*

Quintæ regulæ deſeruit ſecunda dictio *Cageti*: fitq; ſyllogiſmus in tertia figura in *Darapti*, *Diſamis*, *Datiſi.*

Sextæ regulæ deſeruit quinta dictio *Gedaco*: fitq; ſyllogiſmus in tertia figura in *Felapton*, *Brocardo*, *Feriſon.*

Septimæ regulæ deſeruit ſexta dictio *Bageli*: fitq; ſyllogiſmus indirectè concludens, in prima figura in *Baralip* & *Dabitis.*

Octauæ regulæ deſeruit quarta dictio *Hebare*, quæ & quartæ regulæ: fitq; ſyllogiſmus in *Celantes.*

Nonæ regulæ deſeruit quinta dictio *Gedaco*, quæ deſeruit etiam ſextæ regulæ: fitq; ſyllogiſmus in *Fapeſmo* & *Friſmeſo.*

Typus

Typus huius doctrinæ.

Vbi supra significat prædicari: infra subijci: extra repugnare.

		Modi.	Reg.
Fe ca na.	Mediũ { supra subiectum / infra prædicatũ } cõclusionis: quia { F / C } — Conclusio vniuersalis affirmatiua: quia A	Barbara.	1.
Ca ge ti.	Mediũ infra { prædicatum / subiectum } conclusi: quia { C / G } — Conclusio particularis affirmatiua: quia I	Darapti. Disamis. Datisi.	5.
Da fe nes.	Mediũ { extra prædicatum / supra subiectum } conclusi: quia { D / F } — Conclusio vniuersalis negatiua: quia E	Celarent. Cesare.	2. & 3.
He ba re.	Mediũ { extra subiectum / supra prædicatũ } cõclusionis: quia { H / B } — Conclusio vniuersalis negatiua: quia E	Camestres. Celantes.	4. 8.
Ge da co.	Mediũ { infra subiectum / extra prædicatũ } cõclusionis: quia { G / D } — Conclusio particularis negatiua: quia O	Felapton. Brocardo. Ferison. Fapesmo. Frismeso.	6. & 9.
Ba ge li.	Mediũ { supra prædicatũ / infra subiectum } cõclusionis: quia { B / G } — Conclusio particularis affirmatiua: quia I	Baralip. Dabitis.	7.
He ba ro.	Mediũ { extra subiectum / supra prædicatũ } cõclusionis: quia { H / B } — Conclusio particularis negatiua: quia O	Barocco.	4.
Fe ca ni.	Mediũ { supra subiectum / infra prædicatũ } cõclusionis: quia { F / C } — Conclusio particularis affirmatiua: quia I	Darij.	1.

		Modi.	Regula.
Da fe no	Mediũ { extra prædicatũ / supra subiectum } conclusi: quia { D / F } — Conclusio particularis negatiua: quia O	Ferio. Festino.	2.

NOTA.


Quòd in vltimo versu inueniuntur tres dictiones dissyllabæ, quæ propterea tertia syllaba carent; quia ex tali complicatione, seu coniunctione medij, nulla conclusio validè inferri potest. Exemplum in *Febbas*. Quòd videlicet medium debeat prędicari & de prædicato conclusionis quod significat B, & de subiecto conclusionis quod significat F, fieri non potest. Nam esset syllogismus in secunda figura ex puris affirmatiuis.

Similiter *Hedas*. Quòd medium repugnet & subiecto conclusionis quod significat H, & prædicato conclusionis quod significat D, nihil fieret. Nam esset syllogismus ex puris negatiuis.

Heccas. Talis quoque coniunctio seu dispositio medij stare non potest, quòd videlicet medium sit subiectum prædicati, & repugnet subiecto. Nam syllogismus esset in prima figura minori negatiua existente, quod non licet in prima figura.

Meritò itaq; his tribus dictionibus ablata est tertia syllaba, quia nullã possunt legitimè inferre conclusionem, talisq; combinatio medij est inutilis.

FIGVRA in qua has vtiles & inutiles cõbinationes medij clarè videre possumus.



Quam

Quam considerans, scito, quòd tales combinationes medij non sunt licitæ, quales designantûr per consonantes coniunctas virgula seu linea ducta ab vna ad aliam. Non enim valet medium quod sit B. & F, videlicet quod prædicetur de prædicato & subiecto conclusionis: nam esset *Febbas*. Neq; liceret medium inuenire quod sit D,&H, nam esset *Hedas*: neq; licet quod sit C,&H, nam esset *Heccas*.

His autem tribus solis combinationibus medii exceptis, omnes alias combinationes facere potes. B, cum G, quia erit *Bageli*: B, cum H, quia erit *Hebare*: C, cum G, quia erit *Cageti*: D, cum G, nam erit *Gedaco*: D, cum F, erit *Dafenes*.

NOTATIO.

Solebant antiqui subiicere figuram de inuentione medii, qua propter difficultatem pons asini vocabatur; propterea, quod qui non pollebat magno ingenio, facilè errare poterat faciens transitum ab vna consonante ad aliam, applicando vtramq; medio; sed per hanc nostram doctrinam facilem, (vt credimus) dirutus est iste pons, quia & flumen difficultatum desiccatum est.

LIBER QVINTVS.

De Syllogismo Demonstratiuo, qui correspondet duobus Posteriorum.

Pro connexione sequentium cum præcedentibus, sciendum est, quòd post tractatum & doctrinam de

nam de constructione syllogismorum in communi, tractandum est in particulari de syllogismo.

Sunt autem tria genera syllogismorum: Demonstratiuum, Dialecticum seu probabile, & Sophisticum seu deceptorium. *Differentia verò inter hæc est ista*: Quòd syllogismus demonstratiuus generet scientiam, id est, certam, euidentem, atq; adeò perfectissimam cognitionem, cui intellectus ita firmiter adhæret, vt securè iudicet oppositum esse falsum. Vnde & tali materia, id est, propositionibus vtitur, quales conueniant tali fini: vtitur enim propositionibus necessariis. Est autem necessaria propositio, quæ ita est vera, vt non possit esse falsa. Dialecticus autem parit opinionem, hoc est, imperfectam cognitionem, ita vt quamuis intellectus determinatè aliquid credat esse verum, tamen formidat ne suum oppositum sit verum. Vnde tali materia vtitur, id est talibus propositionibus, quales sufficiant generandæ opinioni. Vtitur enim præmissis probabilibus, hoc est verisimilibus, id est, quæ videntur esse veræ aut omnibus, aut pluribus hominibus, aut sapientibus. Et si aliquando vtitur necessarijs, sumit ipsas quatenus sunt probabiles.

EXEMPLVM.

Omnis mater diligit filium. Anna est mater. Ergò Anna diligit filium suum. Iste syllogismus est Dialecticus: cuius propositiones non sunt necessariæ, sed verisimiles: probabile enim est, quòd mater diligat filium suum: sicq; est vt plurimùm.

Sophisticus syllogismus parit deceptionem, propterea

pterea vtitur aut propoſitionibus apparenter veris; aut forma ſyllogiſtica, apparenter & non ſecundum rei veritatem bona, dummodo fallat. Itaq; in primis de ſyllogiſmo demonſtratiuo ita tractabimus, vt minùs neceſſaria omittamus, & neceſſaria maiori qua poterimus facilitate, explicemus. De hac autē

Primò. Finem demonſtrationis deſcribemus. Finis autē demōſtrationis eſt, ſcientia perfecta. Nam ſyllogiſmus demōſtratiuus, eſt inſtrumentum comparandi talem ſcientiam.

Secundò. Ipſius demonſtrationis definitionem adducemus.

Tertiò. Conditiones propoſitionum demonſtrationis explicabimus.

Quartò. Partes demonſtrationis enumerabimus.

Quintò. De præcognitionibus & præcognitis tractabimus.

Sextò. De principijs demonſtrationis.

Septimò. Species demonſtrationis exponemus.

Octauò. Proprietates.

Nonò. Seorſim de medio demonſtrationis pauca dicemus.

I. *Definitio Scientiæ.*

Scientia perfecta, eſt cognitio rei ſcitæ cum certitudine, per cauſam proximam.

Declaratio.

Definitur hic ſcientia non qualiſcunq; ſed perfectiſſima. Dicitur in difinitione, quòd talis ſcientia eſt cognitio rei ſcitæ, id eſt, concluſionis; nam concluſio ſyllogiſmi demonſtratiui eſt res ſcita. Dicitur cum

cum certitudine; hoc eſt, vt intellectus noſter ſit ſecurus, quòd illa concluſio quæ ſcitur, ſit immutabilis & neceſſariò vera, & quòd talis neceſſitas proueniat ei ex cauſa. Dicitur per *cauſam*, ad differentiam ſciētiæ minus perfectæ, quæ poteſt acquiri per effectum. Dicitur vltimò, *proximum*. Nam cauſa eſt duplex: Remota & Proxima.

Remota cauſa eſt: qua ablata, aufertur effectus: ſed qua poſita, non ſtatim ponitur effectus. Hoc modo animal poteſt dici cauſa remota riſibilitatis. Nam perempto animali, interirent omnia inferiora, & homo, & riſibilitas, &c. Sed tamen poſito, quòd aliquid ſit animal; non ſtatim ponitur, quòd illud ſit riſibile, videlicet homo.

Cauſa autem proxima eſt: qua poſita, neceſſariò ponitur effectus; & qua ſublata, neceſſariò aufertur effectus. Talis cauſa riſibilitatis eſt rationale. Similiter talis cauſa proxima, eclipſis lunæ, eſt interpoſitio terræ, inter ſolem & lunam. Nam poſita tali interpoſitione terræ, ponitur eclipſis; & ſublata, aufertur eclipſis.

II. *Definitio Demonſtrationis.*

Demonſtratio eſt ſyllogiſmus qui parit ſcientiam, conſtans ex principijs, veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & cauſis concluſionis.

Declaratio.

Ex *principiis*, id eſt, ex præmiſſis. *Primis*, id eſt, non habentibus alias præmiſſas priores ſe. *Immediatis*, id eſt, non habentibus medium inter ſubiectum & prædicatum ſui.

Vbi

Vbi ſciendum eſt, quòd hæ tres particulæ, *primum immediatum*, & *indemonſtrabile* idem ſunt re. Nam propoſitio mediata eſt illa, quæ habet medium inter ſubiectum & prædicatum ſuum. Et quoniam ex combinatione iſtius medij cum vtroque extremo, fiunt propoſitiones priores hac mediata; ideò illa mediata propoſitio non poteſt dici prima: & quoniam hæc eadem mediata probatur per illas priores, ideò dicitur demonſtrabilis. EXEMPLVM. *Homo eſt riſibilis*, eſt propoſitio mediata; nam rationale mediat inter hominem & riſibile: vnde ex complicatione rationalis cum homine & riſibilitate, quòd fit in minori & maiori, efficiuntur propoſitiones priores hac, per quas demonſtrari poteſt: propterea dicitur & mediata, & demonſtrabilis, neque appellari poteſt prima.

Similiter per oppoſitum, propoſitio immediata non habet medium, ac proinde neque occaſionem ad hoc, vt fiant propoſitiones priores, per quas demonſtrari poſſit; eadem & prima & indemonſtrabilis meritò dicitur.

Debent autem præmiſſę demõſtrationis eſſe immediatæ, aut ſtatim, videlicet, in primo ſyllogiſmo: aut ſaltem debent reduci per nouam, vel nouas demonſtrationes ad principia immediata, quæ amplius demonſtrari non poſſint, ſed abſque probatione ſint manifeſta.

Dicitur in definitione *ex prioribus*, id eſt ex præmiſſis, quæ ſint priores non tempore, ſed natura. Nam cauſæ quæ ſunt priores tẽpore ſuis effectibus, non ſunt cauſæ neceſſariæ: (quod requiritur ad demonſtrationem) ſed aut liberæ, aut contingentes. Cauſa autem quæ ingreditur demonſtrationem debet eſſe talis, quæ neceſſariò producat effectum, & ea poſita, ſtatim neceſſariò ponatur effectus.

Dicitur *ex notioribus*, quod intellige non tantùm ſecundum ordinem noſtræ cognitionis, verumetiam ſecundum ordinem naturæ rerum: præmiſſæ enim demonſtrationis debent eſſe notiores, & quo ad nos (quoniam ſunt inſtrumentum cognitionis noſtræ) & ſecundum propriam naturam; quoniam præſtantiſſimam ſcientiam generant, & potiſſimam demonſtrationem faciunt.

ADNOTATIO.

Hîc probans Ariſtoteles principia demonſtrationis eſſe notiora, affert quandam propoſitionem famoſiſſimam notatu, & intellectu dignam. Eſt autem probatio hæc, *Propter quod vnum quodq; tale eſt: illud eſt magis tale. Sed propter principia, concluſiones ſunt notæ, ergò principia ſunt magis nota.* Maior quæ maxima dicitur & dignitas, manifeſtatur his exemplis: *Pater diligit præceptorem propter filium, ergò filium magis diligit.* Similiter valet: *Aqua eſt calida propter ignem, ergò ignis eſt magis calidus.*

Sed videtur iſta dignitas non vniuerſaliter eſſe vera; neque enim valet: *Petrus eſt ebrius, propter vinum. Ergò vinum eſt magis ebrium.* Similiter non valet: *Homo in æſtate eſt calidus propter ſolem. Ergò ſol eſt magis calidus.* Item. *Filius eſt homo, propter patrem. Ergò pater eſt magis homo.*

Itaq; vt hæc maxima ſit perpetuò vera, duæ conditiones requiruntur.

Prima,

Prima, vt illud tertium in quo duo comparantur insit vtriq; quemadmodum *calor* ineſt igni & aquæ; & *diligi* conuenit filio & præceptori: *ebrietas* autem tantùm Petro ineſt & non vino: nam vinum non poteſt dici ebrium; & tamen vini & Petri fit comparatio in ebrietate.

Secunda conditio eſt, vt illud tertium ſuſcipiat magis & minus, ſicut calor: nam ſecundum calorem aliquid dicitur magis & minus calidum. Et propter defectum huius ſecundæ conditionis, illa vltima inſtantia non valet. Nam humanitas & vniuerſaliter omnis ſubſtãtia non ſuſcipit magis & minus.

Additur vltimò *ex cauſis concluſionis*, id eſt, ex præmiſſis compoſitis ex medio, quod eſt cauſa concluſionis.

SVBMONITIO.

Sciendum eſt hîc Ariſtotelem definire præſtantiſſimam demonſtrationem, generantem perfectiſſimam ſcientiam. Datur enim etiam demonſtratio per cauſam remotam & per effectum; ſed talis non parit perfectam ſcientiam, de qua ſuo loco dicetur.

III.

Adducendæ ſunt cõditiones facientes ſummam neceſſitatem in enuntiationibus demonſtrationis. Nam ex definitione ſcientiæ, manifeſtum eſt concluſionem demonſtrationis eſſe neceſſariam; & ex definitione demonſtrationis, colligitur præmiſſas ipſius eſſe neceſſarias: meritò itaque hîc inueſtigabimus illas conditiones, quæ per gradus talem neceſſitatem cõſtituunt. Sunt itaque hæ conditiones tres: de omni, per ſe, & vniuerſale.

De omni,

De omni minimum gradum neceſſitatis conſtituit. Eſt autem *de omni* tunc, quando prædicatum verè attribuitur, & prædicatur de omni ſubiecto, atque omni tempore, id eſt, ſemper. Et hoc eſt quod alij dicunt: Ad *de omni* requiruntur duæ vniuerſitates: vniuerſitas ſubiecti, & vniuerſitas temporis. Nimirum, vt prædicatum conueniat vniuerſo ſubiecto, & vniuerſo tempore. EXEMPLVM. *Cygnus eſt albus, Coruus eſt niger.* Iſtæ propoſitiones ſunt *de omni.* Nam albedo conuenit omni cygno & omni tempore; & nigredo, omni coruo & ſemper.

OBSERVATIO.

Eſt magna differentia inter illud *de omni,* cuius mentionem fecimus in præcedẽti libro. Cuius etiam meminit Ariſtoteles in libris Priorum, & inter hoc *de omni*, cuius doctrina traditur in libris Poſteriorum: nam ad *de Omni prioriſticum*, ſufficit vniuerſitas ſubiecti. Poſito enim caſu, quòd media nocte omnes homines dormiant, iſta propoſitio, *Omnis homo dormit*, eo tempore facta, ſpectaret ad *de omni prioriſticum*, quamuis ibi deſit vniuerſitas temporum. Nam qui media nocte dormiunt, adueniente luce euigilabunt; vnde non erit propoſitio ſemper vera. Sed *de omni poſterioriſticum*, vtramque vnuerſitatem exigit, vt dictum eſt.

Secundò differunt. Nam *de omni poſterioriſticum*, ſolam propoſitionem ſignificat, ſeu prædicationem, vel reſpectum prædicati ad ſubiectum: at *de omni prioriſticum*, integrum ſyllogiſmum complectitur.

Secunda conditio, quæ maiorem gradum neceſſitatis facit in enuntiationibus demõſtrationis eſt,

 per ſe.

per se. Sed quoniam *per se* dicitur quatuor modis, ideò explicandi ſunt iſti quatuor modi *per ſe*, & ſtatuenda differentia inter eos, atq; ſeligendi ſunt, qui ſunt ad demonſtrationem vtiles.

Primus itaque modus *per ſe* eſt, quando prædicatum pertinet ad definitionem ſubiecti. Siue ſit tota definitio: vt, *Homo eſt animal rationale.* Siue prędicatum ſit genus remotum: vt, *Homo eſt ſubſtantia. Albedo eſt qualitas.* Siue prædicatũ ſit genus proximum: vt, *Homo eſt animal. Albedo eſt color.* Siue ſit differentia remota: vt, *Homo eſt corporeus*. Siue differentia proxima: vt, *Homo eſt rationalis.* Nam iſta quinque prædicata continet primus modus *per ſe.*

Secundus modus *per ſe* eſt, quãdo viceuerſa ſubiectum eſt de definitione prædicati. Quod tunc eſt, quando proprium accidens prædicatur de ſuo proprio ſubiecto: vt, *Homo eſt riſibilis. Bos eſt mugibilis. Equus eſt hinnibilis. &c.* Eſt autem proprium accidẽs (quod à Philoſophis vulgò dicitur propria paſſio ſeu propria affectio) duplex. Aliud ſimplum ſeu vnicum, quod determinatè conuenit ſuo ſubiecto: vt, *riſibilitas homini. Ecclipſis lunæ.* Aliud duplicatum, quod diſiunctim conuenit ſubiecto ſuo: vt, *Par* vel *impar numero. Rectum* vel *curuum lineæ.* Omnis namque numerus eſt par, vel impar. &c.

Tertius modus *per ſe*, ſignificat rem per ſeipſam exiſtere & non in alio, quo modo accidens eſt in ſubiecto. Et hic tertius modus cõtinet omnes ſubſtantias, tàm vniuerſales quàm particulares. Omnis enim ſubſtãtia exiſtit per ſe & non per aliud ſubiectum: vt, homo, animal, bos, Petrus, &c.

Accidentia itaq; non ſunt per ſe in hoc tertio modo: vt, album, muſicum, &c.

Quartus modus *per ſe* ſignificat aliquid eſſe proprium & per ſe cauſam effectus: vt, interfectio eſt propria cauſa interitus. Sol eſt propria cauſa genitorum: & ædificator ædificij. Quando autem effectus non reducitur ad propriam cauſam, ſed ad illud ſolum quod ſimul eſt cum effectu, illud tale dicitur cauſa per accidens: vt, quia ſimul eſt mea deambulatio & coruſcatio, non propterea mea deambulatio eſt cauſa propria, & per ſe, coruſcationis. Similiter, quamuis ſimul ſit ædificator, & eius ædificatio, cum inuentione theſauri, non propterea ædificator eſt cauſa per ſe inuentionis theſauri, ſed dicitur cauſa per accidens.

Vnde in propoſitionibus, quando talis effectus prædicatur de ſua cauſa per accidens, eſt etiam prædicatio per accidens: ſicut per oppoſitum, quando effectus prædicatur de ſua per ſe cauſa, prædicatio eſt per ſe in hoc quarto modo perſeitatis: vt, Sol generat hominem. Interfectus interijt. Ædificator ædificat.

Et viceuerſa ſecundum quoſdam, quando propria cauſa prædicatur de ſuo effectu, ſimiliter eſt propoſitio per ſe in hoc quarto modo: vt, Eclipſis eſt interpoſitio terræ inter ſolem & lunam. Reſpiratio eſt propter pulmonem.

I. Diſcrimen inter hos quatuor modos per ſe eſt, quòd primus & ſecundus modus, ſunt modi prædicandi, tertius modus eſt eſſendi ſeu exiſtendi, quartus verò cauſandi.

II. Discrimen: primus & secundus sunt vtiles demonstrationi. Et propterea propositiones in quibus nec prædicatum est de definitione subiecti, nec subiectum de definitione prædicati, sunt propositiones per accidens, ac proinde inutiles demonstrationi. Tertius modus est omnino inutilis. Non quòd substantiæ reijciantur à demonstratione, sed quòd hîc eligamus conditiones, quæ in propositionibus necessitatem faciunt, hic autem modus est incomplexus. Quartus modus tunc est vtilis demonstrationi, quando ex propria causa & effectu, conficitur propositio necessaria: hoc autem tunc est, quãdo causa & effectus reciprocantur seu conuertuntur: ita, vt posita causa, ponatur effectus: & sublata, auferatur. Et talis est causa Eclipsis, videlicet obiectio terræ inter solem & lunam.

De vniuersali.

Vniuersale hîc nouam habet significationem non illam vulgarem. Nam hîc significat prædicatum æquale subiecto, id est, quod conuertitur cum subiecto: vt, Homo est rationalis. Homo est risibilis. Equus est hinnibilis. Bos est mugibilis. Et dicitur illud prædicatũ vniuersale propterea, quòd vniuersum seu totum comprehenditur in illo subiecto, & extra suum subiectum nihil eius inuenitur: sicut vniuersus ambitus risibilitatis clauditur in homine.

Definitio eius est.

Vniuersale est, quod cùm sit de omni & per se, est etiam secundum quod ipsum.

DECLA-

DECLARATIO.

Ad hoc quòd hîc dicatur prædicatum vniuersale tres conditiones exiguntur. *De omni, per se, & secundum quod ipsum. Secundum quod ipsum* autem, significat secundum propriam, totam, & adæquatam naturam illius subiecti, & quatenus illud subiectum ab omnibus alijs distinguitur.

Hæc tertia conditio summum gradum necessitatis in enuntiationibus constituit. Nam vbi est prædicatum adæquatum subiecto, ibi est necessaria connexio, tàm ex parte prædicati quàm ex parte subiecti: hoc est, & prædicatum est necessarium subiecto, & subiectum prædicato: quia neutrum absq; altero consistere potest.

IIII.

Partes demonstrationis sunt tres.

Principia, Subiectum, & Passio.

Ratio est. Quoniam demonstratio diuiditur in præmissas & conclusionem. Præmissæ quidem dicuntur & sunt principia, conclusio verò adhuc diuiditur in subiectum, & passionem, vnde in summa tres erunt partes demonstrationis. *Exemplum.* Rationale est risibile. Homo est rationalis. Ergò. Homo est risibilis. In hac demonstratione maior & minor, dicuntur principia. *Homo* est subiectum, *risibile* est proprietas, quæ hîc dicitur propria passio seu affectio.

Principiorum officium est, vt per ipsa demonstretur passio de subiecto. Officium subiecti est, vt

de ipso

de ipso demonſtretur propria paſſio. Officium paſſionis eſt, vt ipſa demonſtretur de ſuo ſubiecto.

Hîc colligitur officium totius ſcientiæ. Eſt enim totius ſcientiæ munus, demonſtrare proprias paſſiones de ſuo ſubiecto, per propria principia.

De præcognitionibus & præcognitis dicendum eſt.

Nam illæ partes demonſtrationis, videlicet Principia, Subiectum, & Paſſio, dicuntur etiam præcognita, eò quòd ante demonſtrationem aliquibus præcognitionibus cognoſcuntur. Sunt autem quatuor præcognitiones. *Quid nominis*, id eſt, quid ſignificat nomen. *quia eſt*, hoc eſt, quòd exiſtit res ſignificata per illud nomen. *quid rei*, id eſt, quid eſt illa res ſignificata per nomen, ſeu quæ eſt definitio eius. & *quia verum eſt*.

Itaq; ſubiectum tribus modis præcognoſcitur: tum quid ſignificet nomen, tum quòd exiſtat: (de re enim quæ non exiſtit, non poteſt quæri ſcientia: vt de chimera, hircoceruo, &c.) tum quid ſit illud ſubiectum. Nam medium in demonſtratione vt plurimùm eſt definitio ſubiecti: vnde ipſum ſubiectum quo ad ſuam definitionem cognoſcendum eſt ante formationem demonſtrationis.

Paſſio vno tantùm modo præcognoſcitur, videlicet, quid ſignificetur per nomen. Neq; enim poteſt præcognoſci paſſio quòd exiſtat, quia hoc per demonſtrationem innoteſcit, per quam concluditur quòd paſſio inſit ſubiecto. Omnis autem accidentis eſſe eſt in eſſe, hoc eſt, accidens in tantum exiſtit

exiſtit in rerum natura, in quantum inhæret ſuo ſubiecto, & aliter eſſe non poteſt.

Principia duabus præcognitionibus ante demõſtrationem cognoſcuntur: videlicet, quid ſignificent, & quia vera ſunt: nam demonſtratio procedit ex principiis veris. Sciendum autem eſt, quòd principia, videlicet maior & minor propoſitio, ſi referantur ad concluſionem, hoc modo præcognoſcuntur: quòd maior propoſitio priùs tempore cognoſcitur quàm concluſio: minor verò ſi ſit immediata, vel cognoſcatur contineri ſub maiori, ſimul tempore: ſed prius natura, quia eſt cauſa cognoſcendi concluſionem. *Exemplum.* Omne habens pulmonem reſpirat. Lepus habet pulmonem. Ergò Lepus reſpirat. In hac demonſtratione, qualiſcunq; eſt, maiorem propoſitionem poſſim multo tẽpore ante concluſionem cognoſcere: ſed minori legitima cognita, vltrò & ſtatim ingerit ſe cognitio concluſionis.

VI.

Diuiditur principium demonſtrationis.

Poſſet enim aliquis ex præcedentibus colligere principia demonſtrationis, ſignificare tantùm præmiſſas, propterea hîc oſtendendum eſt principium demonſtrationis multò plura ſignificare.

Duplex itaq; eſt principium demonſtrationis.

Commune, & Proprium.

Commune, (quod etiam appellatur dignitas ſeu maxima) ſignificat illam propoſitionem, quæ propter ſui

pter ſui euidentiam ſummam, præ cæteris omnibus digna eſt, vt ei fides adhibeatur: vt, Omne totum maius eſt ſua parte.

Proprium principium (quod etiam poſitio dicitur) ſignificat illam propoſitionem, quæ ex ſe abſq; aliqua probatione eſt nota; & in principio ſuæ ſcientiæ ponitur ſeu iacitur: tanquam fundamentum dicendorum: vt, *Ex nihilo nihil fit*: eſt proprium principium, in naturali ſcientia.

Hic ſciendum eſt, quòd principium commune non aſſumitur in præmiſſam demonſtrationis, præſertim in ſua amplitudine ſeu terminis cõmunibus.

Subdiuiſio.

Principium commune eſt duplex.

Vniuerſaliſſimum, quod omnibus ſcientijs deſeruit. Et talia principia non ſunt niſi duo. Affirmatiuum ſeu affirmatiuè formatum: vt, *Quodlibet eſt, aut non eſt*. Et negatiuum: vt, *Nihil poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*. *Et minus vniuerſale*; quod non omnibus ſed pluribus ſcientijs deſeruit: vt, *Omne totum, eſt maius ſua parte*. &, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanẽt ſunt æqualia. Quæ duo, tàm Geometriæ, quàm Arithmeticæ inſeruiunt.

Proprij principij Subdiuiſio.

Poſitio eſt duplex. *Suppoſitio & Definitio.*

Per Definitionem, intellige definitionem præcipuè ſubiecti ſcientiæ, quæ ſimiliter in principio vniuſcuiuſque ſcientiæ ſtatuitur tanquam radix ſequentium.

Suppoſitio

Suppoſitio autem interdum ſignificat propoſitionem per ſe notam de ſecundo adiacente; & tales ſuppoſitiones in Phyſicis ſunt: Naturam eſſe, corpus eſſe, motum eſſe. In Arithmeticis verò: Numerum eſſe, &c. Interdum verò ſignificat propoſitionem per ſe notam de tertio adiacente, vt in Geometria ſuppoſitio eſt. Omnes anguli recti ſunt æquales. Et quęcunq; eidem ſunt æqualia, ea etiam inter ſe ſunt ęqualia. Et parallelę non concurrunt. *Dicuntur autem lineæ parallelæ ſemper æqualiter à ſe diſtantes. Nam tales quantumcunq; protrahantur, nunquam ſe tangent, aut concurrent: vt*

ADNOTATIO.

Subiectũ dum pręcognoſcitur quòd ſit, facit ſuppoſitionem de ſecundo adiacente: & dum præcognoſcitur quid ſit, facit definitionem.

VII.

Diuiſio demonſtrationis.

Demõſtratio eſt duplex: Propter quid, & Quia.

Demonſtratio propter quid, eſt illa, quæ pro medio habet cauſam proximam. Quæ propterea vocatur *propter quid*; quoniam veram cauſam concluſionis exprimit. vocatur etiam demonſtratio à priori, quia cauſa eſt prior ſuo effectu.

Talis autem demonſtratio eſt, quando per rationale concluditur hominem eſſe riſibilem: per interpoſitionem terræ, probatur lunam eclipſari. &c.

Secunda demonſtratio eſt. *Quia*. Quæ non explicat cauſam veram concluſionis, ſed tantùm oſtendit quòd concluſio ſit vera. Et talis aliquando

pro medio

pro medio habet effectum, quæ demonstratio solet etiam appellari à posteriori; quia effectus est posterior sua causa: vt, si probetur hominem esse risibilem per ridere, quod est effectus risibilitatis. Aliquando habet pro medio causam remotam: vt, si probetur aliquid non respirare, per hoc quod non est animal. Animal enim est causa remota respirationis. Et fit argumentum in secunda figura in *Camestres*: vt, *Omne respirans est animal. Nullus lapis est animal. Ergò, Nullus lapis respirat.*

Aliquando etiam pro medio habet signum necessarium; hoc est, necessario inferens causam, quæ vocatur demonstratio à signo: vt, si quis ex signis Astrologicis certò rem indicantibus demonstret, aut mutationem aëris, aut quid simile.

VIII.

Proprietates demonstrationis sunt septem.

Sciendum autem est has proprietates simul sumptas, soli præstantißimæ & nobilißimæ demonstrationi conuenire.

Prima, Demonstratio constat, tàm ex præmissis quàm ex conclusionibus vniuersalibus & sempiternis, non autem ex particularibus corruptibilibus.

Secunda, Demonstratio constat ex præmissis & conclusionibus necessariis id est, quæ nullo modo possunt esse falsæ.

Tertia, Demonstratio habet principia propria: id est, neq; communia, quę se possint extendere ad plura quàm ad conclusionem: neq; aliena, quę sint alteriùs scientię, ad quam non spectaret conclusio. Nam proprium excludit & commune, & alienum. Vnde

Vnde Arist. vetans vsum alienorum principiorum, dixit, non licere demonstrantem descendere de genere in genus: hoc est, non debere vti principiis vnius scientię ad colligendam conclusionem alterius scientię, nisi in scientiis subalternis.

Est autem differentia inter scientiam subalternantem, & scientiam subalternatam; quòd scientia subalternans habeat subiectum non applicatum ad aliquam materiam sensibilem: vti est Geometria, quę considerat quantitatem absolutè, lineam absolutè. Similiter Arithmetica considerat numerum absolutè.

Scientia verò subalternata, quamuis habeat idem subiectum, tamen applicat ipsum ad qualitatem sensibilem: vt Prospectiua subalternatur Geometriæ, quia considerat lineam non absolutè, sed in visu positam seu visibilem. Musica subalternatur Arithmeticę, nam considerat numerum in sonis, seu numerum sonorum. Vnde scientia subalternans est tanquam mater, scientia subalternata tanquam filia; ac propterea licet ex principiis subalternantis scientię probare conclusiones scientię subalternatę.

Quarta, Est parere scientiam nobilissimam vocatam *propter quid.*

Quinta, Primi gradus, id est, pręstantissima demonstratio vendicat sibi primam figuram, & primum modum ipsius.

Sexta, In demonstratione est finitus processus, hoc est, deuenire debemus ad principia prima, immediata, & indemonstrabilia, quæ ampliùs probari non possunt. *Septima*,

Septima, Eſt comparatio vnius cum altera, penes excellentiam. Eſt autem hæc, quòd demonſtratio vniuerſalis nobilior eſt particulari, & affirmatiua præſtat negatiuæ; & oſtenſiua ſeu recta, nobilior eſt ducente ad impoſſibile.

Eſt autem oſtenſiua demonſtratio, quæ recto ordine concludit verum ex veris: vt, *Omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergò Omnis homo eſt riſibilis.*

Demonſtratio autem ducens ad impoſſibile eſt, quando ex falſo oppoſito concluſionis veræ, concluditur oppoſitum alicuius præmiſſæ manifeſtè impoſſibile: vt, *Nullus homo eſt riſibilis. Omne rationale eſt homo. Ergò. Nullum rationale eſt riſibile.* Quæ concluſio eſt manifeſtè impoſſibilis, (quoniam effectus negatur de ſua propria cauſa) ergò altera præmiſſarum, & non alia quàm maior, quæ eſt oppoſita concluſioni.

IX.

De medio Demonſtrationis.

Quamuis ex præcedentibus facilè conſtare poßit, quid in ſyllogiſmo demonſtratiuo ſit medium (nam debet eſſe cauſa, cuiuſcunq; ſit generis, dummodo ſit ꝓpria ſeu proxima concluſionis, id eſt prædicati concluſionis: ſeu quòd prædicatum concluſionis inſit ſubiecto concluſionis) tamen vt meliùs penetretur natura demonſtrationis potißimæ, parientis ſcientiam propter quid, ſeorſim eſt de eo tractandum.

Sciendum itaq; primò, quòd per demonſtrationem concluduntur propriæ paſſiones; ſeu propria accidentia de ſuis ſubiectis, per ſuas cauſas.

Secundò

Secundò ſciendum, quòd propria accidētia quædam habent cauſam externam, hoc eſt, quæ extra ſubiectum illius accidentis eſt. Quædam verò cauſam internam, quæ videlicet eſt intra illud ſubiectum, in quo & propria paſſio inuenitur.

Tertiò ſciendum, quòd cauſa externa accidentium propriorum duplex eſt: Efficiens & finalis: vt, Obiectio terræ inter ſolem & lunam, eſt cauſa efficiens eclipſis. & ſanitas, eſt cauſa finalis, quòd deſcendat cibus ad fundum ventriculi in deambulāte.

Quartò. Quòd cauſa interna priorum accidentium eſſe poteſt, vel tota natura ſubiecti, ſicut tota natura hominis eſt cauſa riſibilitatis. Vel materia ſubiecti, ſicut materia corporum ſublunarium eſt cauſa corruptibilitatis. Vel forma ſubiecti, ſicut forma animalis eſt cauſa ſenſus. Vel aliud accidēs primum. Nam interdum in vno ſubiecto reperiuntur plura accidentia, ordine quodam ab ipſo emanantia, ita vt primum accidens proprium, ſit cauſa ſecundi; ſecundum, cauſa tertij. Quemadmodum ex natura ignis prouenit calor, tanquam propria paſſio, & calor eſt cauſa raritatis, quæ eſt ſecunda propria paſſio: deinde raritas eſt cauſa leuitatis, tanquam tertiæ paſſionis.

Quintò notandum, quòd iſtæ cauſæ internę poſſunt etiam appellari cauſæ effectiuæ, per emanationem quandam, ſeu naturalem ſequelam.

Duplex enim eſt cauſa efficiens. Vna per veram actionem: vt ædificator reſpectu ædificij, circa quod veram operationem exercet: ſcriptor reſpectu ſcripturæ: & quilibet artifex reſpectu ſui operis. Altera per

ra per emanationem quandam & naturalem concomitantiam, sicut rationale est causa risibilitatis, & ignis est causa caloris; quia calor naturaliter consequitur ignem, & corruptibilitas materiam.

His præmissis statuuntur duæ propositiones.

Prima. Propriæ passiones, habentes causam propriam externam, demonstrantur per illam, atque adeò illius demonstrationis medium est talis causa. Exemplum de causa efficiente. *Illud inter quod & solem interponitur terra, eclipsatur. Sed inter lunam & solem interponitur terra. Ergò luna eclipsatur.*

Hîc scito conclusionem esse per se. Nam quamuis non semper luna eclipsetur absolutè; infallibiliter tamen & regulariter eclipsatur temporibus suis. Maior est in quarto modo per se. Minor verò quamuis sit mediata, tamē reduci potest ad immediatam per definitionem lunæ, si eam sciremus: nam ex natura Lunæ prouenit, sic circulariter moueri, quòd aliquando in tali situ interponatur terra inter ipsam & Lunam. Exemplum de causa finali. *Omnis faciens exercitium propter sanitatem, facit descendere cibum ad fundum ventriculi. Sed deambulans facit exercitium propter sanitatem. Ergò Deambulans facit descendere cibum ad fundum ventriculi.*

Secunda propositio. Accidentia quæ habent causam internam, demonstrantur per ipsam, atque adeò demonstrationis illius medium est causa interna: siue tota natura subiecti: vt, *Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. Ergò Omnis homo est risibilis.* Siue etiam prior passio ad concludendum po-

dum posteriorem passionem, siue quæcunque alia causa interna proxima.

APPENDIX.

Hic intelligere licet famosam illam quæstionem de medio demonstrationis. An, videlicet, definitio subiecti vel passionis, sit medium in demonstratione. Nam vt plurimùm solet esse definitio subiecti, vbi accidens proprium habet causam internam. similiter quando habet causam externam, multoties minor propositio reducitur ad immediatam, per definitionem subiecti.

His tamen non obstantibus, potest etiam imo debet dici, quòd medium demonstrationis sit definitio passionis. Non quidem definitio formalis, sed definitio causalis. Nam illa eadem causa passionis facit definitionem causalem illius.

Vbi notandum est, quòd accidentis definitio duplex esse potest. *Formalis*: vt, Eclipsis est priuatio luminis. Et *Causalis*: vt, Eclipsis est interpositio terræ inter solem & lunam.

LIBER SEXTVS.

De Syllogismo probabili seu Dialectico, id est disputatiuo.

Et correspondet octo libris Topicorum.

In quo tria fiunt.

Primò. Declaratur inscriptio libri.

Secundò. Enumerantur species argumentationis.

Tertiò. Recenſentur fontes, ex quibus manant argumentationes, qui etiam ſolent appellari, loca, ſedes, & fundamenta argumentationum.

I. Propterea ſyllogiſmus, de quo hîc tractatur, dicitur probabilis: quoniam conſtat ex præmiſſis probabilibus. Et quamuis interdum conſtet ex propoſitionibus neceſſarijs, tamen ſumuntur quatenus ſunt probabiles. Eſt autem probabilis propoſitio, vt ſupra dictum eſt, quę videtur aut omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus eſſe vera; quamuis alioquin non ſit neceſſaria.

Dicitur etiam hîc ſyllogiſmus diſputatiuus; quoniam diſputatio fit per ſyllogiſmum probabilem. Nam diſputator qui ex ſua profeſſione paratus eſt, vtramq; partem propoſitionis defendere, videlicet, tam affirmatiuam quàm negatiuam: vt, *quòd mater diligat filium* & *quòd mater non diligat filium*: neceſſariò vtitur probabilibus propoſitionibus ad confirmandam modo hanc, modo illam partem. Per neceſſarias enim propoſitiones vnum tantùm determinatè concluditur. Vnde qui per neceſſarias propoſitiones aliquid probat, non propriè diſputat, ſed docet; ſicut etiam qui per ſyllogiſmum ſophiſticum aliquid probat, non propriè diſputat, ſed diſputare videtur, propriè autem decipit & ludit: at qui per probabiles propoſitiones aliquid tuetur, propriè diſputat.

II. Quoniam diſputatio non tantùm fit per ſyllogiſmum, verumetiam per alias ſpecies argumentationis; idcircò de his quoque breuiter aliquid eſt dicendum.

Sunt

Sunt autem quatuor ſpecies argumentationis: Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & Exemplum. De ſyllogiſmo iam ſatis dictum eſt.

Enthymema eſt argumentatio, quæ conſtat ex duabus enuntiationibus, quarum prior vocatur antecedens, poſterior dicitur conſequens. Dicitur etiam propterea ſyllogiſmus truncatus, quia ei deeſt aliquando maior propoſitio, aliquando minor: vt, *Malus Chriſtianus non timet Deum. Ergò Malus Chriſtianus non facit bona.* Hîc deeſt iſta maior, *qui timet Deum faciet bona*. Item. *Omnis qui diligit Deum, diligitur à Deo. Ergò Iuſtus diligitur à Deo.* Hîc deeſt minor: videlicet, *Sed iuſtus diligit Deum.*

Vt autem ſcias quando deeſt maior aut minor, cōſidera, an in prima propoſitione inueniatur ſubiectum concluſionis vel prædicatum; ſi inuenitur ſubiectum concluſionis, ſignū eſt quòd deeſt maior. Si autem in prima propoſitione ponitur prædicatum conſequentis, ſignum eſt quòd adeſt maior, & deeſt minor. Vnde Enthymema dicitur ἐν θύμῳ, id eſt, in animo: nam vna præmiſſa exprimitur, & altera in animo reſeruatur.

Inductio, eſt argumentatio, in qua ex ſingularibus notioribus ſufficienter enumeratis, probatur vniuerſale minùs notum: vt, *Sanctus Baſilius fuit Deo gratus. S. Benedictus fuit Deo gratus. S. Dominicus fuit Deo gratus. S. Franciſcus fuit Deo gratus.* & ſic de ſingulis fundatoribus religionum. *Ergò Omnis inuentor religionis eſt Deo gratus.* Item. *Petrus eſt bipes, Paulus eſt bipes, Iacobus eſt bipes.* & ſic de ſingulis. *Ergò Omnis homo eſt bipes.*

Exemplum

Exemplum, est argumentatio, in qua ex vno singulari notiori, probatur aliud singulare minus notum propter aliquid simile inuentum in eis: vt, *Thebanos contra Phocenses bellum gerere, malum fuit. Ergò etiam Athenienses contra Thebanos bellum gerere malum est*: est autem in vtroq; singulari similitudo; nam & Thebani Phocẽsibus sunt finitimi, & Athenienses Thebanis. Item. *Vngaris deserere fidem Catholicam, & contra sacerdotes insurgere malè cessit. Ergò etiam Polonis fidem Catholicam deserere, ac contra sacerdotes insurgere, malè cedet.* Vtrobiq; autem est similitudo in Christianismo. Item. *Petrus est bipes: Ergò & Andreas est bipes.* Nam vterque est homo.

III. De locis syllogismorum Dialecticorum.

Dicitur autem locus, id ex quo syllogismus Dialecticus sumit robur suum. Et quoniam ex medio quilibet syllogismus suam firmitatem trahit, propterea tale & tale medium, locus Dialecticus, ac sedes appellari potest.

Est itaq; locus syllogismorum Dialecticorũ quadruplex: Quidam intra rem. Alius circa rem. Alius extra rem. Alius contra rem.

Intra rem est, quando medium quod ad probandum assumitur, spectat ad naturam rei positæ in conclusione.

Et iste est quadruplex: à definitione, à descriptione, ab interpretatione, & à transumptione.

Definitio, est oratio significãs naturam rei, ipsamque explicans per genus & differentiam: vt, homo est animal rationale.

Descriptio, significat naturam rei, sed eam explicat partim per essentialia, partim per accidentalia: vt, Homo est animal risibile, vel loquens, & bipes. &c.

Interpretatio, est explicatio alicuius termini minus noti per alium terminum magis notum, siue terminus explicans sit simplex, siue sit oratio; tàm eiusdem idiomatis, quàm alterius; dummodò interpretatio conuertatur cum termino interpretato: vt, Philosophus, id est amator sapientiæ.

Locus itaque à definitione, quatuor modis fundat & format syllogismum Dialecticum.

Primò iuxta hanc maximam: Quidquid prædicatur de definitione, prædicatur & de definito. Exemplum. *Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis. Ergò Omnis homo est risibilis.*

Hic quoniam de animali rationali (quæ est definitio hominis) prædicatur risibile in maiori, propterea etiam in conclusione idem risibile prædicatur de homine, qui est definitum.

Secundò iuxta hanc maximam: De quocunq; prædicatur definitio, prædicatur & definitum: vt, *Petrus est animal rationale. Ergò Petrus est homo.*

Tertiò iuxta hanc maximam: Quidquid remouetur à definitione, remouetur etiam à definito: vt, *Animal rationale non est rudibile. Ergò Homo non est rudibilis.*

Quartò secundum hanc maximam: A quocunq; remouetur definitio, remouetur etiam definitum: vt, *Asinus non est animal rationale. Ergò Asinus nõ est homo.*

Et viceuersa poteris formare maximas & syllogismos à definito ad definitionem. *Prima maxima est*:

Quidquid prædicatur de definito, prædicatur etiam de definitione: vt, *Homo intelligit. Ergò Animal rationale intelligit.*

Secunda. De quocunq; prædicatur definitum, prædicatur etiam definitio.

Tertia. Quidquid remouetur à definito, remouetur etiam à definitione.

Quarta. A quocunque remouetur definitum, remouetur etiam definitio.

Similiter locus à descriptione ad descriptum: & è conuerso à descripto ad descriptioné, totidem maximas & varietates syllogismorum habet.

Huc reducatur locus à proprio ad speciem.

Item intelligendum est de loco ab interpretatione ad interpretatum: & è contra, ab interpretato ad interpretationem.

A transsumptione. Dicitur autem hîc transsumptio, acceptio nominis simplicis magis noti, loco nominis minùs noti: vt, *Gulosus est ineptus ad studia. Ergò Helluo est ineptus ad studia. Maxima.* Quod conuenit alicui sumpto sub nomine notiori, illud conuenit eidem sub nomine ignotiori.

Locus ab his *quæ sunt circa rem*, est quando medium syllogismi aliquo modo attingit vel coniungitur rei.

Tales autem loci sunt vndecim: *à toto, à parte, à causa, ab effectu, à generatione, à corruptione, ab vsu, à communiter accidentibus, à coniugatis, à casibus, & à diuisione.*

Diuisio Totius.

Totum

Totum sexduplex esse dicitur (quantum ad præsens sufficit.) Totum vniuersale, Totum integrale, In quantitate, In modo, In loco, In tempore.

Totum vniuersale, est omne superius, vt genus respectu specierum quas continet potestate: vnde etiam Totum potestatiuum dicitur. Et species respectu indiuiduorum: vnde partes Totius vniuersalis, dicuntur subiectiuæ, quia & indiuidua speciei subijciuntur, & species generi.

Totum integrale (quod etiam materiale & quantitatiuum dicitur) est illud, quod componitur ex partibus quantitatem habentibus: vt, *Domus*, quæ componitur ex fundamento, parietibus, & tecto.

Totum in quantitate, est quodlibet vniuersale, sumptum cum signo vniuersali: vt, *Omnis homo*, & *Nullus homo.* Partes, eius sunt, eius inferiora omnia: vt, *Plato, Petrus, &c.*

Totum in modo, est quodlibet vniuersale, sumptum absque aliqua determinatione: vt, *homo, equus, bos, leo.* Pars in modo est idem vniuersale sumptũ cum aliqua determinatione, & modo non diminuente: vt, *homo albus, equus velox, bos pinguis.* Datur enim etiam determinatio diminuens ipsam rem, naturamq; eius destruens: vt, *homo mortuus, leo pictus, res ficta.*

Totum locale, est dictio significãs omnem locum aduerbialiter: vt, vbique, nusquam. Pars verò eius est dictio, significans aliquem particularem locum: vt, *hic, ibi.*

Totum temporale, est dictio significans omne tempus: vt, *semper, nunquam.* Pars verò eius: vt, *heri, hodie, cras.*

Totum

Totum itaq; vniuersale habet vnum tantùm modum argumentandi, eumq; negatiuum: vt, *Non est animal. Ergò Non est homo.*

Maxima super quam fundatur hæc argumentatio est ista: Remoto superiori, remouentur omnia inferiora.

Locus à parte subiectiua duos modos argumentandi habet, eosque affirmatiuos. *Primus modus est*: Quando subijcitur pars: vt, *Homo ambulat. Ergò Animal ambulat.*

Maxima. Quidquid prædicatur de inferiori, prædicatur etiam de inferiori.

Secundus modus. Quando ista pars subiectiua prædicatur: vt, *Petrus est homo. Ergò Petrus est animal.*

Maxima. De quacunque prædicatur inferius, de eodem prædicatur & superius.

Locus à toto integrali habet vnum modum argumentandi, eumq; affirmatiuum: vt, *Domus est. Ergò paries est.*

Maxima. Posito toto integrali, ponitur & quælibet eius pars.

A parte integrali locus, vnum tantùm modum argumentandi habet, videlicet negatiuum: vt, *Paries non est. Ergò domus non est.*

Maxima. Destructa parte integrali, destruitur & ipsum totum.

A toto in quantitate locus, habet duos modos argumentandi, videlicet affirmatiuũ & negatiuum.

Affirmatiuus est. Omnis homo currit. Ergò Petrus currit.

Maxima: Quidquid prædicatur de toto in quantitate, prædicatur & de qualibet eius parte.

Negatiuus: vt, Nullus homo volat. Ergò neque Petrus volat.

Maxima. Quidquid remouetur à toto in quantitate, remouetur à qualibet eius parte.

A parte in quantitate locus habet duos modos argumentandi, scilicet affirmatiuum & negatiuum.

Affirmatiuus est iste: Petrus est bipes, Paulus est bipes. & sic de singulis. Ergò, Omnis homo est bipes.

Maxima. Quidquid prædicatur de omnibus partibus in quantitate simul sumptis, prædicatur & de ipso toto.

Negatiuus est. Petrus non mugit. Paulus non mugit. & sic de singulis. Ergò Nullus homo mugit.

Maxima. Quidquid remouetur ab omnibus partibus in quantitate simul sumptis, remouetur & ab ipso toto.

Locus à toto in modo, in omnibus tam modis argumentandi quàm maximis, sequitur totum vniuersale. Nam etiam homo est quid superius respectu hominis rubei, hominis velocis, hominis ingeniosi, &c.

A toto locali duo sunt modi argumentandi.

Affirmatiuus. Deus est vbique. Ergò etiam est hîc.

Maxima. Cuicunq; conuenit totum in loco, conuenit & quælibet pars eius.

Negatiuus: vt, Chimera nullibi est. Ergo neq; hic

Maxima. A quocunq; remouetur totum in loco, remouetur & quælibet eius pars.

A parte locali vnus modus est argumentandi, videlicet negatiuus: vt, *Gigantes non sunt in Polonia. Ergò Gigantes non sunt vbique.*

Maxima.

Maxima. Cuicunque non conuenit aliqua pars localis, eidem nec ipsum totum conuenit.

In loco à toto temporali, tales maximæ & argumentationes formantur, quales modo vidimus in toto à loco.

De loco à causis.

Causæ sunt quatuor: Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.

Efficiens est. Vt, Ædificator est causa efficiens ædificij, figulus ollæ.

Et habet duos modos argumentandi.

Affirmatiuus est iste: Ædificator est bonus. Ergò opus ab eo factum est bonum. *Fundamentum autem seu maxima huius argumentationis est hæc*: Cuius causa efficiens est bona, ipsum quoq; opus, est bonum.

Negatiuus. Sutor non est bonus. Ergò calceus non est bonus.

Maxima. Cuius causa efficiẽs non est bona, ipsum quoque opus non est bonum.

Ab effectu ad causam efficientem, totidem modi sunt argumentandi & per omnia similes. Nam si effectus est bonus vel malus, causa quoque efficiens est bona vel mala.

Materialis causa est, ex qua aliquid fit: vt, ligna sunt materia domus, & ferrum cultri, gladij, &c. quæ dicitur materia permanens; quia ligna & ferrum sicut ante, ita etiam in opere remanent idem secundum suam substãtiam: farina verò est materia transiens, nam in pane non remanet amplius farina.

Duobus itaque modis argumentari licet à causa materiali.

materiali ad effectum. *Affirmatiuè sic.* Ferrum est: Ergò securis esse potest.

Maxima. Posita causa materiali siue permanente, siue transeunte, potest poni effectus. *Negatiuè sic*: Ferrum non est. Ergò securis esse non potest.

Maxima. Sublata causa materiali, aufertur effectus.

Ab effectu materiæ permanẽtis, vnus est modus argumentandi: *Affirmatiuus*, videlicet, Culter est. Ergò ferrum est.

Maxima. Posito effectu materiæ permanentis, necessarium est materiam permanentem actu esse.

Ab effectu verò materiæ transeuntis hoc modo argumentandum est: *Panis est. Ergò farina fuit.*

Maxima. Posito effectu materiæ transeuntis, necessarium est, ipsam quoq; materiam præfuisse.

Causa materialis est, quę constituit rem in suo esse; sicut albedo est causa formalis albi, bonitas boni, anima animati, &c. Habetque duos modos argumentandi.

Affirmatiuus est talis. Bonitas est. Ergò bonum est.

Maxima. Posita causa formali, necessariò ponitur eius effectus.

Negatiuus est iste. Anima non est. Ergò animatum non est.

Maxima. Sublata causa formali, aufertur & effectus.

Similiter ab effectu ad causam formalem totidẽ sunt modi argumentandi & similes maximæ. Nam posito vel sublato effectu, ponitur vel aufertur ipsa forma, seu causa formalis.

Causa finalis est, ille idem finis propter quem aliquid fit, quatenus cogitatione apprehenditur: sicut finis

finis domus, est inhabitatio eius; propterea enim domus construitur, vt inhabitetur. *Similiter.* Homo est creatus propter beatitudinem.

Habetq; duos modos argumentandi: *Affirmatiuus est*: Beatitudo est bona. Ergò virtus est bona.

Maxima. Cuius finis est bonus, ipsum quoq; medium, quod ordinatur ad finem, est bonum. Et viceuersa: Cuius medium est bonum, ipse quoque finis est bonus.

Negatiuus. Pœna inferni non est bona (homini condemnato) Ergò neq; peccatum est bonum.

Maxima. Cuius finis est malus, ipsum quoq; medium est malum.

A generatione locus, habet duos modos argumentandi, qui fundantur in duabus propositionibus seu maximis.

Prima est. Cuius generatio bona est, ipsum quoq; bonum est: vt, *Natiuitas Beati Ioannis baptistæ erat bona. Ergò Beatus Ioannes baptista erat bonus.*

Secunda. Cuius generatio mala est, ipsum quoq; malum est: vt, *Multiplicatio infidelium mala est. Ergò infideles mali sunt.*

A corruptione sunt duo modi argumentandi & duæ maximæ.

Prima est. Cuius corruptio est bona, ipsum malum est: vt, *Corruptio Antichristi est bona. Ergo Antichristus malus est.*

Secunda. Cuius corruptio est mala, ipsum bonum est: vt, *Interitus iustorum est malus. Ergo iusti boni sunt.*

Locus ab vsu proprio alicuius rei.

Sumitur

Sumitur autem hic vsus pro actione & operatione propria vel exercitio alicuius rei: vt, *Securis vsus est secare, vestis vestire, equi equitare, veneni inficere.* Et habet duos modos argumentandi. *Primus* fundatur in ista maxima: Cuius vsus bonus est, ipsum quoq; bonum est: vt, *Vestire est bonum. Ergò vestis est bona.* *Secundus.* Cuius vsus malus est, ipsum quoq; malum est: vt, *Necare veneno malum est. Ergò ipsum venenum est malum.*

Locus à communiter accidentibus.

Communiter accidetia hic dicuntur duo aliqua accidentia, quæ se mutuò insequuntur & semper.

Nam sunt aliqua accidentia quæ non semper se insequuntur: vt, *magnitudo, fortitudo.* Similiter, *Ornatè incedere*, & *esse lasciuum.* Quædam verò semper se insequuntur, suo tamen ordine: vt, *peccatum & pœnitentia*, quorum *peccatum* dicitur primum accidens, *pœnitentia* posterius.

Habet autem duos modos argumentandi. *Primus* est negatiuus: vt, Non peccauit. Ergò pœnitentiam agere non debet.

Maxima. Si communiter accidentium prius non inest, neque posterius inerit.

Secundus est. Agit pœnitentiam. Ergò peccauit.

Maxima. Si communiter accidentium posterius inest, etiam prius inerat.

A Coniugatis.

Coniugata hic dicuntur, abstractum & contractum: vt, *bonitas* & *bonum. Religio* ac *religiosus.* Dicuntur autem coniugata, quia sunt coniuncta vna & eadem significatione. Et

Et habet modum argumentandi tàm affirmatiuum quàm negatiuum: vt, *Iustitia est virtus. Ergò iustum, est virtuosum.*

Maxima. Si abstractum de abstracto prædicatur, & concretum de concreto prædicabitur. *Maxima negatiua.* Si abstractum de abstracto negatur, & concretum de concreto negabitur: vt, *Fortitudo non est debilitas. Ergò fortis non est debilis.*

A Casibus.

Casus hîc dicuntur, adiectiuum & aduerbium: vt, *Iustum* & *iustè.* Nam tàm adiectiuũ quàm aduerbium cadunt, & originem trahunt ab vno & eodem, videlicet à iustitia.

Locus à casibus habet similiter duos modos argumentandi.

Affirmatiuus est. Iustum est virtuosum. Ergò quod iustè fit, virtuosè fit.

Maxima. Si adiectiuum de adiectiuo prædicatur, & aduerbium de aduerbio prædicabitur. Et si adiectiuum de adiectiuo negatur, aduerbium quoque de aduerbio negabitur: vt, *Fortis non est debilis. Ergò quod fit fortiter, non est debiliter.*

A Diuisione.

Diuisionum sunt septem species. *Prima Diuisio* est per contradictoria: vt, *Aut est homo, aut non est homo. Secunda* est generis in species: vt, *Animalium aliud est homo, aliud est bos, aliud equus. Tertia.* Est totius integralis in suas partes: vt, *in domo alia pars est fundamentum, alia paries, alia tectum, &c.*

Quarta.

Quarta. Vocis in suas significationes: vt, *canis tria significat: animal domesticum, piscem marinum, & sydus cœleste.*

Quinta. Subiecti in accidentia: vt, *Animalium aliud sanum, aliud ægrum.*

Sexta. Accidentis in subiecto: vt, *sanorum aliud est homo, aliud brutum.*

Septima. Accidentis in accidentia. vt, *Alba quædam sunt dulcia, quædam sunt amara.* Dulcia: vt, *Saccharum.* Amara: vt, *Agaricum.*

Modi argumẽtandi à diuisione sunt faciles.

Nam de prima diuisione eadem est ratio, quæ de contrariè oppositis.

De toto integrali dictum est superiùs. In alijs diuisionibus argumenta plerumque fiunt, ad instar argumentorum à contrarijs.

De locis extra rem, qui sunt quinque.

A maiori, à minori, à simili, à proportione, & ab authoritate.

De loco à maiori.

Dicitur autem maius, aut illud quod habet maiorem virtutem seu potentiam: aut illud quod est verisimilius, credibilius, & factu facilius. Habetq; negatiuum tantùm modum argumentandi: vt, Magister nescit. Ergò neque discipulus. *Maxima.* Si illud quod magis videtur inesse, non inest: neque id, quod minùs videtur inesse, inerit.

Locus à minori habet tãtùm affirmatiuum modum argumentandi: vt, Discipulus bene disputat. Ergò

& magi-

& magister. *Maxima.* Si illud quod minus videtur inesse inest, & id quod magis videtur inesse inerit.

A simili locus, potest esse tàm affirmatiuus quàm negatiuus: vt, Angeli gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente. Ergò & animę beatę. *Maxima.* De similibus idem est iudicium.

Similiter. Ariani non saluabuntur. Ergò neque Luterani.

De loco à proportione.

Sumitur hic proportio pro quadam conuenientia, & simili habitudine inter duas combinationes rerum. Vt si accipiamus ex vna parte octo & quatuor, & ex alia parte sex & tria; argumentaremurque ita: *Sicut se habent octo ad quatuor, ita sex ad tria: sed in prima combinatione est proportio dupla, (nam bis quater octo) Ergò etiam in secunda combinatione talis est proportio.* Similiter. *Sicut se habet fundamentum ad totam domum; ita princeps ad totum populum. Sed fundamentum sustinet totum pondus domus. Ergò & princeps populi debet sustinere omnes molestias populi. Maxima.* De proportionalibus idem est iudicium.

Locus ab authoritate facilis est: vt, si probare velimus absq; baptismo neminem saluari posse, & hoc confirmaremus Christi testimonio, tunc argumentum esset ab authoritate. *Similiter.* Astronomi docent solem esse maiorem terra. Ergò sol maior est terra. *Maxima.* Vnicuiq; in sua arte experto credendum est.

De locis contra rem.

Tunc autem est locus contra rem, quando medium dissidet ab aliquo termino posito in conclusione. Talia

Talia autem loca tria. Ab oppositis, à disparatis, & à dissimili.

Et quoniam quatuor sunt species oppositionis: videlicet, Relatiua, Cōtraria, Priuatiua, & Contradictoria; propterea de his singulis breuiter dicetur.

Itaq; locus ab oppositis relatiuè, habet duos modos argumentandi: videlicet, affirmatiuum & negatiuum. *Affirmatiuus est iste*: Pater est. Ergò filius est. *Maxima.* Posito vno oppositorum relatiuè, necessariò ponitur & reliquum. *Negatiuus.* Nō est dominus. Ergò non est seruus. *Maxima.* Sublato vno oppositorum relatiuè, aufertur & reliquum.

Locus à contrarijs, similiter habet duos modos argumentandi.

Affirmatiuus est iste: Petrus est albus. Ergò Petrus non est niger. *Maxima.* Posito vno contrariorum, aufertur reliquum.

Negatiuus, valet tantùm in contrarijs immediatis: vt, Non est sanus. Ergò est æger. *Maxima.* Remoto vno contrariorum immediatorum, necessariò ponitur reliquum.

Locus à priuatiuè oppositis, duos habet modos argumentandi.

Affirmatiuus est iste: Petrus est videns. Ergò Petrus non est cœcus. *Maxima.* Posito vno oppositorum priuatiuè, aufertur reliquum.

Negatiuus est iste: Animal non est vidēs, & aptum est tali tempore visum habere. Ergò est cœcum. *Maxima.* Remoto vno priuatiuè oppositorū à subiecto

iecto proprio, tempore debito, ponitur reliquum.

SVBMONITIO.

Propterea hîc mentio facta est de subiecto proprio & tempore congruo; quia vbi subiectum non est proprium, iste modus argumentandi non valet: vt, Lapis non est videns. Ergò est cœcus.

Similiter, vbi tempus non est conueniens ad habendum visum, non valet: vt, *Catulus ante nonum diem non est videns. Ergò est cœcus*: non sequitur. Nam quamuis habeat aptitudinem videndi, tamen actu visum non habet, nisi post nonum diem.

Ab oppositis contradictoriè.

Maxima. Si vnum cõtradictoriorum fuerit verum, alterum erit falsum, & viceuersa: vt, *Homo est risibilis, & homo non est risibilis*, sunt contradictoria: & quoniam prima propositio est vera, secunda erit falsa.

A disparatis.

Dicuntur autem disparata, quæ non sunt idem, neq; vni & eidem rei simul conuenire possunt; & cùm sint diuersa seu repugnantia, tamen nulla specie oppositionis opponuntur: vt, *Homo & equus. Albedo & rotunditas. Lapis & lignũ. Substantia & accidẽs.*

Habet hic locus vnum tantum modum argumentandi, videlicet affirmatiuum: vt, Petrus est homo. Ergò Petrus non est asinus.

Maxima. Cuicunq; conuenit vnum disparatum, ab eodem remouetur reliquum.

Quod si argumentatio fiat in accidentibus disparatis, debent sumi accidentia in abstracto, videlicet:

delicet: *Albedo est color. Ergò albedo non est quantitas.* In concreto enim non valeret; sicuti in hoc exemplo non valet: *Pomum est album. Ergò pomum non est rotundum.* Quamuis enim albedo & rotunditas in abstracto de se non prędicentur, tamen in concreto possunt prædicari propter subiecti vnitatem. Negatiuum modum argumentandi non habet; neque enim valet: *Canis non est homo. Ergò canis est equus.*

Locus à dissimili.

Maxima. Dissimilibus dissimilia conueniunt; & quod conuenit vni, non conuenit alteri: vt, *Religiosus deuotus placet Deo. Ergò dissolutus displicet Deo.*

SEPTIMVS LIBER.

De Syllogismo Sophistico.

Id est, fallaci seu deceptorio. Nam finis eius est decipere. De quo tamen nos volumus doctrinam tradere; non vt discipuli decipiant, sed vt deceptiones euadere sciant. Et quoniam ab alijs authoribus satis copiosè de eo tractatur, ideò nos breuissimè de eo agemus: ita tamen, vt vsitatiores fallaciæ intelligantur, & ad secretiora animus præparetur.

Duæ itaq; sunt classes fallaciarum. Nam quædã sunt in dictione; nimirùm quando deceptio prouenit ex parte vocis. Quædam verò extra dictionẽ; videlicet, quando deceptio prouenit non ex facto dictionis, sed ex parte rei.

Fallaciæ in dictione sunt sex.

Æquiuocatio, Amphibologia, Compositio, Diuisio, Accentus, & Figura dictionis.

Æquiuocationis fallacia est, quando medium in syllogismo est æquiuocum. *Exemplum.* Omnis canis latrat. Quidam planeta cœlestis est canis (à quo dicuntur dies caniculares) Ergò quidam planeta cœlestis latrat.

Amphibologiæ fallacia est, quando deceptio prouenit ex eo, quòd oratio est dubia & plures sensus habet: vt, *Quicunq; sunt Palatini, sunt senatores. Equi sunt Palatini. Ergò equi sunt senatores.* Hic deceptio prouenit ex eo, quòd maior propositio variè intelligitur; nam si hoc nomen Palatini, est nominatiuus pluralis, est vera propositio: si genitiuus singularis, est falsa.

Fallacia compositionis & diuisionis est, quando aliqua oratio potest intelligi in sensu composito & diuiso. Tunc si est vera in sensu diuiso & falsa in sensu cōposito, est fallacia compositionis: vt hîc, *Quicquid possibile est esse nigrum, possibile est quòd sit nigrum. Sed album possibile esse nigrum. Ergò Possibile est quòd album sit nigrum.*

Hic deceptio prouenit ex eo, quòd minor in sensu diuiso est vera. Nam res quæ modo est alba, potest amissa albedine esse nigra. Sed in sensu composito est falsa, secundum quam etiam conclusio colligitur. Neque enim fieri potest, quòd simul aliquid sit album & nigrum: quod exigit sensus compositus.

Fallaciæ

Fallaciæ diuisionis exemplum. *Quicquid impoßibile est esse nigrum, non potest esse nigrum. Sed album impoßibile est esse nigrum. Ergò album non potest esse nigrum.* Falsa est conclusio in sensu diuiso. Potest enim res amissa albedine esse nigra. Deceptio autem prouenit ex eo, quòd minor in sensu composito est vera, in sensu verò diuiso est falsa. Propterea ista minor est distinguenda, per sensum compositum & sensum diuisum.

Fallacia Accentus, est deceptio proueniens ex eo, quòd vna dictio potest varium accentum habere: vt *pendere*, potest esse secundæ coniugationis, & tunc significat suspendium: potest etiam esse tertiæ coniugationis, & significat magnifacere. *Sophisma.* Quemcunq; dignum est pendere, dignum est vt suspendatur. Sed viros probos dignum est pendere. Ergò viri probi digni sunt vt suspendantur.

Fallacia figuræ dictionis est, quando duæ voces sunt similes, & propterea creduntur eandem habere significationem. Quod quamuis varijs modis accidat, præsertim tamen tunc, quando in syllogismo mutantur prædicamenta: vt, *Quicquid emisti, comedisti. Carnes crudas emisti. Ergò carnes crudas comedisti.* Hic manifestè mutantur prædicamenta; & vt vulgo dicitur, quid in quale mutatur. Nam in maiori *quicquid* designat substantiam: in minori *ly crudas* designat qualitatem.

Similiter. *Quantùm habuisti pedes in pueritia, habes & modo. Paruos pedes habuisti in pueritia. Ergò paruos pedes habes & nunc.* Hic mutatur *quantum* in *adaliquid*: id est, prædicamentum quantitatis in prædicamentum

tum adaliquid. Nam in maiori *ly quantum*, designat quantitatem discretam: in minori *ly paruos* designat relationem: & tamen causa deceptionis est, figura seu similitudo dictionis. Valde enim similia videntur: *carnes emptæ & carnes comestæ*. Quæ similitudo generat deceptionem in syllogismo.

Fallaciæ extra dictionem sunt septem.

Accidentis.
A secundum quid, ad simpliciter.
Secundum ignorantiam Elenchi.
Secundum petitionem Principii.
Consequentis.
Secundum non causam, & causam.
Et secundum plures interrogationes, vt vnam.

Fallacia accidentis est, quando aliqua duo non omnibus modis sunt idem, sed partim conueniunt, partim etiam differunt; & tamen id quod conuenit vni, quatenus differt ab alio, attribuitur illi alteri. Nam reuera illa duo accidit esse idem, dum sumantur sub diuersis attributis. EXEMPLVM. *Homo est animal. Animal est genus. Ergò homo est genus.* Hic homo & animal sunt idem, nō quidem omnibus modis; nam distinguuntur etiam aliquo modo. Vnde quia genus (quod est attributum animalis in quantum distinguitur ab homine) attribuitur etiam homini; ideò fit fallacia accidentis.

Aliud exemplum. *Iste canis est pater, & est tuus. Ergò est pater tuus.*

Fallacia à secundum quid ad simpliciter, est quando proceditur ab aliquo termino sumpto cum additi-

one diminuente significationem eius, ad eundem terminum sine additione aut limitatione aliqua. (Simpliciter enim dicitur illud, quod absq; aliqua additione dicitur:) vt, *Est homo mortuus. Ergò est homo. Æthyops est albus secundum dentes. Ergò Æthyops est albus. Licet interficere patrem suum in Triballis. Ergò licet interficere patrem suum.*

Non sequitur. Nam locus, videlicet *Triballi* (vbi licebat interficere senes) est additio diminuens & limitans significationem termini: videlicet, *licet interficere patrem suum.* Eo enim in loco corruptissima lex erat de interficiendis senibus, & nullibi licita.

Fallacia secundum ignoratiam Elenchi.

Elenchus significat syllogismum concludentem contradictoriū propositionis concessæ ab aliquo.

Fallacia verò secundum ignorantiam elenchi est, quando apparenter & non verè concluduntur contradictoria. Non verè autem concluduntur: quia conditiones contrariorum non obseruantur. Debent enim contradictoria sumi respectu eiusdem seu ad idem: secundum idem: similiter & secundum idem tempus, vnde propter defectum primæ conditionis, in hoc exemplo erit fallacia secundum ignorantiam elenchi: *Hæc arx est alta respectu domus, & non est alta respectu montis. Ergo hæc arx est alta, & non est alta.* Hic manifestè contradictoria, videlicet *altum & non altum*, sumuntur respectu diuersorum. Aliud exemplum. *Gigas est maior rege secundum staturam, & non est maior secundum dignitatem. Er-*

gò Gigas est maior, & non est maior. Hic contradictoria non sumuntur secundum idem, sed secundum diuersa, videlicet secundum dignitatē, & staturam.

Tertium. *Cælum mouetur circulariter & non mouetur sursum, deorsum. Ergò cælum mouetur, & non mouetur.* Hic contradictoria non sumuntur similiter.

Quartum. *Portæ ciuitatis sunt clausæ nocte, & non sunt clausæ die. Ergò portæ ciuitatis sunt clausæ & non sunt clausæ.*

De fallacia petitionis principij.

Principium hic sumitur pro illa propositione, quam quis à principio probare decreuit. Petitio autem principij, est illius propositionis probatio per eandem propositionem; vt, si vellem probare hominem currere, hoc modo: *Homo currit. Ergò homo currit.* Sed si repetitio huius propositionis probandæ fieret iisdem verbis, nulla esset fallacia: erit autem fallacia, quando diuersis verbis conclusio repetitur: vt, *Primus Patriarcha Ordinis Prædicatorum habuit Zelum animarum. Ergò sanctus Dominicus habuit Zelum animarum.* Idem enim fuit sanctus Dominicus & primus Patriarcha Ordinis Prædicatorū, quamuis verba diuersa.

Sunt plures modi huius fallaciæ, sed quoniam hæc doctrina de fallacijs compendiosè pro tyrunculis traditur, sicut & tota Logica: idcircò sufficiat hoc vnum exemplum, ad faciliorem captum profundioris doctrinæ.

Fallacia consequentis est, quando arguitur à positione cōsequentis ad positionem antecedentis, quod nunquam

nunquam licet, nisi in terminis conuertibilibus. *Exemplum*, hæc est bona consequentia: *Si homo est, animal est.* Sed mox erit fallacia consequentis, si principium sumatur à consequente ad antecedens, videlicet: *Est animal. Ergò est homo.* Potest enim esse præter hominem, alia species animalis.

De fallacia secundum non causam, vt causam.

Hæc non habet locum, nisi in syllogismo ducente ad impossibile.

Tunc autem hæc fallacia committitur, quando aliquis impossibilem conclusionem colligens, eius falsitatem conatur reducere ad aliquam propositionem veram, & pro vera ab aliquo admissam, quæ non est causa impossibilis conclusionis, quamuis ab aliquo possit credi causa falsitatis, propter conuenientiam in subiecto, vel prædicato, cum illa propositione, quæ est legitima causa illius falsitatis. Vnde in regressu illam veram vult perimere, omissa alia, quę facit vt conclusio impossibilis sequatur.

Et quoniam hæc fallacia subobscurè traditur, idcircò nos vt doctrinam clariorem reddamus, certo quodam ordine exempla subijciemus.

Sumimus itaque syllogismum ad impossibile, qui cōtinebit propositionem falsam legitimam, & propriam causam impossibilis conclusionis: qui est iste.

Omne animal est canis. *Hæc est falsa & causa impossibilis conclusionis.*

Omnis homo est animal. Ergò

Omnis homo est canis.

Conclusio

Cõclusio est falsa: ergò altera præmissarum: non minor, quia animal est de ratione hominis. ergò maior.

Hìc vera causa falsitatis in conclusione interimitur; & propterea nulla fallacia committitur.

Potest tamen interponi aliqua propositio vera, quæ erit impertinens, nec aliquid cooperabitur ad falsitatem conclusionis: similis tamen in aliquo termino illi propositioni quæ est causa falsitatis, hoc modo:

Omnis canis est latrabilis. *Hæc est vera vel pro vera ab aliquo admissa, non tamen causa falsæ conclusionis.*

Omne animal est canis. *Hæc meritò deberet perimi.*

Et omnis homo est animal. Ergò

Omnis homo est canis.

Conclusio est falsa, ergò vna ex præmissis: & non alia quàm illa prima, per aliquem in principio concessa: videlicet, *Omnis canis est latrabilis.*

Non sequitur; quia hæc quæ perimitur modo, non est causa falsitatis conclusionis: sed argumentum peccat secundum non causam vt causam: & Sophista non sincerè sed apparenter tantùm vult aliquem seducere, ne firmiter credat omnem canem esse latrabilem: ducẽs illum ad impossibilem conclusionem: quasi supradicta conclusio impossibilis ex hac vera sequeretur, cùm tamen reuera sequatur illam aliam falsam superiùs notatam, & demonstratam: videlicet, *Omne animal est canis.*

Modo faciliùs intelligi poterit etiam exemplum Aristotelis hìc datum. Quod tamen priùs absque fallacia formabitur hoc modo;

Si ali-

Si aliquis per ignorantiam vel falsam opinionem crederet, quòd vita & mors sint contraria (cùm sint priuatiuè opposita): tunc ego volens ipsum ab hoc errore educere, argumentarer colligens ex hac falsa propositione manifestum aliquod impossibile, vt postea reuerterer ad interimendum istam falsam propositionem, hoc modo.

Quando duæ combinationes contrariorum ita sunt ordinatæ, vt vnius combinationis extremum prædicetur de extremo alterius cõbinationis, tunc & reliquum extremum de reliquo prædicabitur.

Sed hìc sunt duæ combinationes contrariorum: videlicet, vita & mors, & generatio, & corruptio: & corruptio prædicatur de morte; nam mors est corruptio.

Ergò & generatio prædicabitur de vita, ita quòd vita erit generatio, & viuere erit generari.

Sed hoc est falsum: quia quod viuit non generatur, sed iam genitum est. ergò debet esse falsa altera præmissarum, non maior; ergò minor, videlicet, quantùm ad hanc propositionem; vita & mors sunt contraria.

Hìc nulla interuenit fallacia, sed argumentum validè concludit, & qui argumentatur, ordinatè procedit.

Posset tamen interponi aliqua impertinens propositio similis in aliquo termino illi propositioni, quæ est legitima causa falsitatis; vt fiat fallacia secundum non causam, vt causam.

Exemplum. Si aliquis vellet infestare bene credentem, quòd anima & vita sint idem (quod est verũ, cùm

cùm vita interdum ſumatur pro anima) tunc poſſet iuxta hanc fallaciam deducere eum ad abſurdum, hoc modo:

Quando duæ combinationes contrariorum ita ſunt ordinatæ, vt vnius combinationis extremum prædicetur de extremo alterius cõbinationis, tunc & reliquum extremum de reliquo prædicabitur.

Sed hîc ſunt duæ combinationes contrariorum, id eſt vita & mors, & generatio & corruptio. Corruptio autem prædicatur de morte, nam mors eſt corruptio: & (per te) anima & vita ſunt idem.

Ergò vita erit generatio, & viuere erit generari.

Concluſio falſa, ergò vna ex præmiſſis.

Ergò non alia quàm illa propoſitio, in minori poſita & à te credita: videlicet, anima & vita ſunt idem.

Hîc eſt fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam: nam reuera non iſta eſt cauſa falſæ concluſionis, ſed illa ſuperiùs deſignata.

Hoc exemplum Ariſtoteles alio ordine format & proponit, & fortè difficiliùs.

Fallacia ſecundùm plures interrogationes vt vnum eſt, quando ſub vno modo interrogandi plura proponuntur, & tamen ad illa plura vnica reſponſio datur: vt, credisné, quòd homo & aſinus ſint animal rationale? ſi dixeris abſq; diſtinctione, ſunt: ſubiungam, Ergò aſinus eſt animal rationale. Si reſponderis, non: ſubinferam, Ergò homo non eſt animal rationale. Similiter, credisné mel & fel eſſe dulcia? ſi reſponderis ſimpliciter, aut ſunt tantùm, aut non ſunt: non euades hanc eandem captionem.

Pro maiori

Pro maiori declaratione fallaciarum operæ pretium eſſet ipſa quoque parua Logicalia pertractare; ſed quoniam iſta copioſè à Petro Hiſpano, dilucidè à Iauello, ſincere à Fonſeca ſunt tradita, ideò ſtudioſos ad hos authores remittimus. Ne tamen his elementis aliquid deeſſe videatur, nonnulla ex paruis Logicalibus, quæ magis neceſſaria ſunt, breuiter in medium proferemus, & facilitatis cauſa, craſſa (quod aiunt) Minerua explicabimus.

Hæc autem ſunt ſex.

Suppoſitio, Status, Amplificatio, Diſtractio, Reſtrictio, Appellatio.

I. *Suppoſitio*: quæ non eſt idem quod ſignificatio. Nam poſt impoſitum nomen ad ſignificandũ (vbi iam ſignificatio nominis completur) vti eo, & accipere illud, vt ſtet & ponatur in aliqua oratione præſertim perfecta, pro aliquo ſignificato vel ſuppoſito, vel pro re quam quomodocunque ſignificat, ſuppoſitio eſt.

Fieri enim poteſt, quòd vna vox communis plura ſignificare poſſit: ſicut leo verum leonem, & virum fortem: Philoſophus omnem hominem philoſophia præditum, & Ariſtotelem: equus omnes particulares equos & Bucephalum: homo ſignificare poteſt & in communi id quod habet naturam humanam, & præterea particulares homines. Dum autem in oratione hæ voces ſunt, pro aliquo ſignificato determinatè ſumuntur: vt, *Philoſophus 12. Metaphyſicæ habet.* Hic *Philoſophus* Ariſtotelem ſignificat, & pro Ariſtotele ſupponit (vel quod alijs magis placet) ſupponitur, id eſt, pro aliqua re ſufficitur & ſubſtituitur.

Diuiſio-

Diuiſiones ſuppoſitionis vide in ſupradictis authoribus.

II. *Status*: qui ad ſuppoſitionem pertinet. Tunc autem nomina habent ſtatum ſuæ ſuppoſitionis, quando ſumuntur pro illis rebus tantùm, quæ exiſtunt in tempore deſignato in verbo principali, ſeu copula enuntiationis. EXEMPLVM. *Dormiens quieſcit, (vel ſi mauis per copulam expreßè reſoluere) dormiens eſt quieſcens.* Hîc ſubiectum & prædicatum ſumuntur pro ſolis præſentibus. Sicut & in hoc ſequenti exemplo pro ſolis præteritis: *qui dormiebat, quieſcebat*: pro futuris, *qui dormiet, quieſcet.*

III. *Amplificatio.* Quæ tunc eſt, quando nomina accipiuntur pro rebus non illius temporis, quod deſignatur per verbum principale enuntiationis, ſed aliter: vt, *religioſus orauit.* Hîc ſubiectum *religioſus ampliatur*, quia accipitur diſiunctim & pro religioſo qui nunc eſt, & qui fuit religioſus, quamuis verbum principale *orauit*, ſit præteriti temporis. Senſus itaque huius propoſitionis eſt: Ille qui nunc eſt aut fuit religioſus, orauit.

IIII. *Diſtractio.* Quæ tunc accidit, quando alterius temporis eſt ſubiectum, & alterius prædicatum ſeu verbum principale. *Exemplum.* Qui véturus eſt, veniet. Hîc nulla diſtractio committitur, quia tam ſubiectum quàm prædicatum eſt futuri temporis. Hîc autem diſtractio interuenit: *Qui malignantur, exterminabuntur*: quia ſubiectum eſt præſentis temporis, prædicatum futuri.

V. *Reſtrictio*: quæ eſt contractio nominis ad hoc, vt pauciora ſignificet, quàm illius ſtatus, ampliatio, aut reſtrictio permittat, propter additionem alicuius

cuius particulæ: vt, dormiens in lecto quieſcit. Hic *in lecto* additum, reſtringit ſtatum huius dictionis *dormiens*, ad ſolos dormientes in lecto.

VI. *Appellatio.* Per appellationem aliqui intelligunt, aut reſtrictionem à maiori ſuppoſitione ad minorem, aut ſtatum: de quibus iam diximus: alij verò denominationem. *Exemplum.* Ioannes fuit ſapiens ſenator. Hîc *ſapiens* appellat dictionem *ſenator.* Vnde *ſapiens* eſt dictio denominans ſeu appellans, *ſenator* autem eſt dictio appellata ſeu denominata.


Hæc, quorum rarior vſus eſt, ſufficit primis (quod aiunt) labris deguſtaſſe. Si autem hunc meum laborem gratum fore cognouero, eum augere atque exornare non grauabor: imò eadem methodo, Philoſophiam quoque totam colligere; Angelici verò Doctoris ſummam Theologicam (ſi vita comes fuerit) ad formam ſyllogiſticam redigere, quod mihi à multis annis in votis eſt; curabo. Interim ſtudioſus adoleſcens, ſi hanc opellam meam vtilem ſibi iudicauerit, Deum oret pro me: & boni conſulat laborem meum. Feci quod potui; talentum à Deo concreditum, qualecunque ſit, non abſcondi.

Benedictus Deus.

FINIS.

ERRATA QVÆ PROPTER ABSENtiam Authoris irrepserunt.

Fol: 3. ỽ. 11. *sunt obseruanda.*
Fol: 7. ỽ. 23. Est
Fol: 12. ỽ. 6. qualiquali
Fol: 13. ỽ. 12. reponendum
Fol: 16. ỽ. 6. medicina sana,
Fol: 18. ỽ. 21. prædicetur
Fol: 21. ỽ. 25. eo modo,
Fol: 23. ỽ. 25. intelligetur
Fol: 25. ỽ. 6. substātia quāta;
Fol: 28. ỽ. 1. passibilis
Fol: 30. ỽ. 22. Mathematicè
ỽ. 27. statura
Fol: 33. ỽ. 17. innuit
Fol: 37 ỽ. 19. viuendum.
Fol: 51. ỽ. 15. miles
Fol: 53. ỽ. 4 vtiles
Fol: 68. ỽ. 28. præter
Fol: 76. ỽ. 5. Cęlū nō moueri
Fol: 82. *Bar*
ba
ra ōis hō est risibilis, quia est rationalis.
Fol: 90. ỽ. 14. quòd animal
Fol: 94. ỽ. 21. sequens vocalem maioris i.
Fol: 98. ỽ. 21. quos
Fol: 101. ỽ. 1. Hecca
Fol: 102. ỽ. 9. C. præcedit
Fol: 108. ỽ. 6 hoc
Fol: 109. ỽ. 6. proximam
Fol: 109. ỽ. 14. *dele* videlicet, *lege* vel
Fol: 110. ỽ. 20. *dele* eadem, *lege*, ideò
Fol: 113. ỽ. 24. vniuersitatē
Fol: 115. ỽ. 4. propriam
Fol: 118. ỽ. 3. Hinc
Fol: 119. ỽ. 16. possum
Fol: 124. ỽ. 18. *addendum* conclusioni. ergò illa prior conclusio erat vera, videlicet: Omnis homo est risibilis.
Fol: 125. ỽ. 11. propriorum
Fol: 134. ỽ. 12. superiori
Fol: 137. ỽ 16. *dele* materialis, *lege* formalis
Fol: 139. ỽ. 28. concretum
Fol: 148. ỽ. 13. *dele* &, *lege* vt
Fol: 148. ỽ. 19. sumuntur
Fol: 149. ỽ. 22. similiter,
Fol: 151. ỽ. 23. Sumemus
Fol: 152. ỽ. 4. in conclusione,
Fol: 154. ỽ. 22. vnam



... manifeste ... praedicati ... [illegible]. E. ubi
cui ... significant. Consonantibus 6. B.
Consequentia ... praedicata praedicati ... repugnantia
in praedicato ... antecedentia ... subjecta ...
cati 2. denotant consequentia ... praedicatum ...
... repugnantia cum subjecto ... antecedentia
... subjecta subjecti. Porro si adimant
ista discrimina praedicato ... cum ad...
omnibus subjecto habebis novem et 6.
Syllogismos

1 ... praedicata ... sequuntur utrumque ter-
minum ... 8 2 ... 2do
... schemate

2 ... utrique tam praedicatus quam subjecti ...
... in ... figura, ...

3 ... medio ab utroque termino aliena
sumuntur ... in ... figura ...

4 ... consequentia subjecti antece-
dentia ... praedicati et fit in 1 figura syl-
logismus ... 2

5 ... consequentia praedicati antece-
dentia ... ad subjectum fit in ... sche-

6 ... aliena a praedicato consequentia ad
subjectum fit syllogismus ... in ...
et 2do figura

7 ... antecedentia ad praedicatum et re-
pugnantia cum subjecto fit ... in 1 sche-
mate ... fit Negans. ...

8 ... antecedentia ad subjectum repugnantia
cum praedicato et fit ultima syllogismus
in ... figuris ...

9 ... aliena a subjecto consequentia ...
ad praedicatum fit syllogismus ... in 1 ...
schemate. Quatuor genera Pronun-
ciatorum.

Universale affirmativum ... unam solam Conju-
gationem ... 3
Universale Negativum ... duabus ... 3 et ...
Particulare affirmativum ... tres ...
duas cum ... et ... universali
... 2.
Particulare Negativum ... unam
solum ... et ... quam et
universale Negativum colligebat
In affirmativis Omnem voluptatem esse bonam
colligo ex antecedentibus praedicati aliquid
... ex consequentibus subjecti cognationem
quandam ... secundum Naturam ... omnibus
... secundum Naturam est bona, ...
In Negativis Nullam voluptatem esse
bonam ex repugnantibus sumo praedicato
... et ex consequentibus subjecti
... in 1 figura ...
In ... ubi ex consequenti-
bus praedicati et ex repugnantibus sub-
jecti. ... bonum est laboriosum nulla
voluptas ... in ... in prima
... [illegible]

ue sed[u]m Natam est bonum O[mn]is volupt[as]
Si sumat[ur] ter[min]us ad ambo extrema q[uaest]ionis
colliget particulare Affirmat[ivam] in 1. et
3 tia figura p[er] conversionem in Connexione
4 Communiter Natae Dicere est volupt[as]
et est sed[u]m Dicere vindus. In 3tio Sche-
mate O[mn]is Dicend[u]m ratione sed[u]m Dicere bonum
Sed q[uae]d[am] est voluptas dicere notum fit in 1.
figura.
Ad concludend[u]m Dirigite negans in 2
Schemate accipe medium q[uo]d sit alienum
a subiecto et consequens ad P[rae]dicatum in
Syllogismis in Cesare E O in 2do
modo Secundi Schematis.
Omne bonum est laboriosum nulla vo-
lup[tas] est laboriosa Ergo transpone p[rae]missas in-
notem ac Conclusionem p[ro]babilem fit sub 2do mo
1. Schematis Sab. ff. recurrens p[er] terminos
Colliges Particulare Negativum
si sumpseris q[uo]d sit alienum a Praedicato
et antecedat Subiectum in 3bus fi-
guris in Connexione. u D in 3tio Sch.
Nihil noxium est bonum q[uo]d[dam] Noxium est
voluptas, Nota conversis p[er] terminos fit
in 3tio modo primi Schematis.
Particulare Affirmativum colliges ob-
lique si sumpseris ante Subiectum et
consequens P[rae]dicati in E u in primo
Schemate p[er] conversionem Conclusionis inde

rede O[mn]e bonum expetibile est voluptas
transpone p[rae]missas et converte Conclusionem
p[er] Antecedentes erit in prima figura
O[mn]e expetibile est voluptas O[mn]e bonum ergo
ue in 3tio Schemate
Directe Negativum p[ro]babis si acceperis alie-
num a P[rae]dicato et consequens ad subiectum
in connexione D η in primo et 2do
Schemate, in 3tio ei: Nullum bonum ἀτελές
O[mn]is volupt[as] imperf[ecta] recurrens p[er] terminos fit 1. Schema.
in 2do Schemate ex affirmatibus p[rae]missis nihil
colligitur. O[mn]e bonum expetibile O[mn]is volupt[as] expet[ibilis]
ue p[rae]missae negant nihil sequitur ergo Nullum bonum
est fugiend[um] nulla volupt[as] fugiend[a] nihil fit.
Connexio est in primo schemate q[uod]
notum 3tio negante nihil infertur si dicam: q[uo]d[dam]
est sed[u]m Natam est bonum. nulla volupt[as]
sit nihil ergo. Nonum ut fit in Dirig[endis]
Syllogismis. y 2 y a E D u δ E u
δ 2 sunt asyllogistica B 7 δ d y O.
Usus 3or et officia continentiae et Consequen-
tiae Dirigendae Natae sciens alterum
et repugnantium verum ad iudicium veri et falsi
necessarium. Synthesis est q[uae] a cifris definitis
definit in q[uo]d q[uae]stione est, Analyticus
in quod definit et cifris finit conclusio
compositionis, sed q[uo]d Elementa dividing
ulterius in ultima. Sed. principia alienis
collecta p[ro]blemati indagantur, et concessis
h[ic] ultima dialectica D[omi]ni in p[rae]missis
et terminos deducit.

[illegible] adde [illegible]
[illegible]
Cumulab. [illegible] Gradus in [illegible]
[illegible]
[illegible] Soloecismus [illegible]
[illegible] 1. [illegible]
[illegible] 2. [illegible] 3. [illegible]
in [illegible] incipiat. [illegible]
argumentatio [illegible] propositiones [illegible]
[illegible] probari [illegible] in aliquo [illegible]
[illegible] propositionibus [illegible]
[illegible]
[illegible] laudabile [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] vocabula [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Dilemma est argumentandi ratio in qua utrumque conversum [illegible] adversarium capitur [illegible] complexo [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] in [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Opinio Dilemma[illegible]
[illegible] contrarijs [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Dilemmat[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] argumenta [illegible]
Enunciatio [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Negatio [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Conditio [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

